Digitized by Google

5 · 6 . 350

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TUS,

T I

ndi

:

ter ſe

M.D.
i

XX.

BIBLIOTH. NAT. FLORENTINAE

5.6.250

Digitized by Google

VIRIS DOCTRINA ET EXPERIENTIA PRÆCELLENTIBUS

D. JOHANNI de MURO ALTO. Facult. Med. Seniori, Canonico, Reip. Tigurinæ Archiatro. Phyſ. Prof. Acad. Leopoldino Carolinæ ARETÆO.

D. JOHANNI CONRADO de MURO ALTO. Reip. Tigurinæ Archiatro.

D. JOHANNI HENRICO HOTTINGERO. Poliatro.

D. JOHANNI ZIEGLERO. Poliatro & Reip. Tigurinæ Ducentum Viro,

FAUTORIBUS & AMICIS,

Apprecatur τὸ

ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ ΚΑΙ ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.

&

Solidæ Rationis atque Experientiæ Opus hocce dicat

Translator

Ex Anglico Idiomate in Latinum

Joh. Jacobus Scheuchzer. Med. D. Math. P. Acad. Leopoldino-Carolinæ *Acarnan*, Socc. Regg. Angl. & Pruſſ. Membrum.

PRÆFATIO.

INveniendæ & promovendæ Medicæ Arti hi ſoli ſunt opportuni, qui ægros adeunt, & Morbos tractant. Non id ita intelligi debet, ac ſi, qui occaſionem hanc nactus fuerit, eâ poſſit feliciter uti. Opus ad id eſt Ingenio vaſto, judicio profundo, intima Naturæ, ſpeciatim Corporis Humani cognitione; ſed & inſuper, quod à ſolis Clinicis expectari poteſt, Fide & attentione ſumma in re tanti, qualis eſt ægrorum tractatio, momenti, & otio ſufficienti ad conſcribendas omni ſtudio Obſervationes, ut in aliorum quoque notitiam tranſire queant. Oportet quis totum quantum ſeſe devoveat huic Studio, neglectis etiam privatis negotiis aliis, inſuper habitis aliis vitæ commodis, totum ſe mancipans Philoſophiæ

phiæ ad uſum & beneficium Societatis Humanæ applicativæ. Hæc qui æquâ animi lance perpendit, haud mirabitur, tam exiguos hactenus, & ad hunc uſque diem, in Arte Medica factos fuiſſe progreſſus.

Accedit, quòd, ſi fortè in hac aliave Scientia ingenti ſtudio, & fortè maxima difficultate, magni momenti Veritas fuerit protracta in lucem, exiguum ea communiter inveniat applauſum. Plurimi in transverſum acti: plurimi opiniones ſuas ſunt amplexi absque præcedaneo examine, aut ſcrutinio ſufficienti & exquiſito. Et hi ſunt omnium difficillimi in corrigendis, vel mutandis, quas præcipiti lapſu imbuerunt, Opinionibus, utcunque magno certitudinis ac evidentiæ fulgore oculis eorum illuceſcant novæ doctrinæ. Imò verò in hoc Seculo, quo judicibus naſutis omnia ſunt plena, nihil invenit applauſum, quod non vel horum ipſorum authoritate & aſſenſu, vel Teſtimonio Naturæ eſt ſancitum. Sunt hi ordinariè

omnium, qui ſeſe magno ſtrepitu opponunt, importuniſſimi. Neque tandem eſt Scientia ulla, quæ in omni tempore & Regione tot, quot quidem jure poſcit & meretur, invenit Fautores, atque Protectores.

Tantis difficultatibus cùm omnia ſint implicita, non mirum, ſi aliqui, relictâ Philoſophiâ ſolidâ, delabantur ad cerebroſa figmenta; dum interim alii ſuo indulgent otio & commodo, & ſuperſedere malunt & laboribus, & tempore, & ſumtibus, quàm ſeſe exponere Pelago tot ventis & fluctibus agitato. Et pauciſſimos invenias ingenio adeò Stoico, ut facilè ferre poſſint Cenſuras, Cavillationes, & ſiniſtras interpretationes eorum, qui, ſi oculos aperire velint, adjuvari ſe vident laboribus noſtris, optimâ fide, & ferventi Zelo ſuſceptis. Sint tales, vel non, generoſa certè mens, amore virtutis, Veritatis & Utilitatis imbuta, hæc omnia nîl curat obſtacula. Eſt voluptas ex utili Veritate vel

vel invenienda, vel detecta major longè, quàm quidem eam ſibi concipere poſſunt, qui nunquam guſtârunt. Hæc ipſa, juncta ſubſcriptioni & approbationi paucorum ex ordine virorum ſapientum & honeſtorum, præponderat longè dubiis omnibus & obſtaculis, in Veritatis viâ occurrentibus.

Opus præſens quod attinet, inveniet id Lector, quod ſpero, adeò explanatum, ut præviâ vel commendatione, vel explicatione haud indigeat. Hoc quidem optimâ fide aſſerere auſim, intendiſſe me omnes vires, ut ingenii qualiscunque defectus ſuppleretur tantò majori curâ & & induſtriâ; ſecutum me eſſe preſſo pede ductum Naturæ & Obſervationum, & ratiocinia fundâſſe ſtructurâ Corporis Humani. Patebit id luculentiùs, ubi devenero ad Obſervationes ipſas, ad Caſus & Hiſtorias variorum, qui meæ curæ ſe ſubjecerunt Varioloſi, aliisve multis morbis affecti; ad Diſſectiones Anatomicas;

quæ omnia lucem ſunt viſura, quamprimùm licebit per alia negotia.

Inde ab aliquot annis, fateor, remediis quibusdam, ſpeciatim Chalybeatis, ſubſtitui alia, non certè ex Singulariſmi, vel Novitatis Studio, ſed quia hæc Naturæ judicavi congrua magis. Oportet ſanè fuerint cauſæ momentoſæ ad ſuperandas difficultates & offenſas orituras ex mutatione, quæ nec collineat cum Notionibus receptis, nec cum commodo privato. Succeſſit res, uti quidem prævidi; nec facilè credent, qui in hujusmodi rebus non ſunt probè verſati, quanto labore, quibusve artibus fuerit opus, ad nova Arti inferenda ſubſidia, & ſuadenda judicia ſola ægrorum ſalute fundata. Quòd ſi difficultati huic ſeſe junxiſſet argumentum aliquod in contrarium ab errore in ratiocinio, vel Experientiæ defectu petitum, maximum certè animo meo id impreſſiſſet momentum. Non ſanè potui vel cum honore, vel propriæ mentis ſatis-

ſatisfactione laudare vel adhibere remedia, quæ & ratio, & indoles eorum ab initio mihi reddebant ſuſpecta, & tum propria mea tum aliorum Experimenta multifaria confirmarunt vel non, aut parum, utilia, vel generatim noxia.

Nemini, opinor, videbitur mirum, quòd in Praxeos meæ curſu, inde ab aliquot annis adeò frequenter in uſum traxerim Remedia oleoſa & unctuoſa, poſtquam demonſtravero, & ad convictionem cujusvis, quod ſpero, in his meis Scriptis, reſpondere ea quàm feliciſſimè variis admodùm tum ſcopis, tum neceſſitatibus Naturæ, eſſeque directè oppoſita cauſæ Morborum principali.

Sunt Rationes Operis præſentis motivæ graves nimis, quàm ut quispiam induci poſſit, ut credat, me absque urgenti cauſa controverſiæ, quam agitamus, fuiſſe immixtum. Non credat *D. Freind*, & qui comparent Socii in *Commentario* ad primum & tertium Libros *de Morbis Po-*

pularibus, unicam eſſe eorum methodum, quam ad examen revocaturus ſum. Prævideo equidem facilè gravem conflictum. Sed, bonitate cauſæ confiſus, perſuaſiſſimus ſum, nemini non perſpectum fore propoſiti mei ſcopum, qui unicè collineat ad beneficium Societatis humanæ. Potuiſſem, ſi commodi ſolius privati habuiſſem rationem, ſecurâ multorum annorum Experientiâ acquieſcere. Tantò minùs ſuſpectus poteſt debetque eſſe candor meus Nobiliſſimis Viris, quibus cum mihi res eſt, ſi conſiderent, aliquam multa mihi ſupereſſe argumenta, & exempla ſuis opinionibus contraria, in Praxi ſua reliqua obvia; quibus producendis ſtudio ſuperſedere malui, impræſentiarum iis duntaxat intentus, quæ leguntur in *Commentariis*.

Quæ heic offero, directa ſunt contra Morbos & calamitates *Angliæ*, vix proin aliâ Linguâ, quàm vernaculâ commodiùs producenda. Incongruum ſanè mihi videtur,

detur, Nationi reddere peregrino Idiomate abſtruſa, & myſterioſa, quæ Salutem tantùm non omnium & Familiarum & individuorum attinent. Propterea & aliquot abhinc annis patrio Idiomate conſcribere volui. *Geographiam* meam *Phyſicam*, *Eſſay towvard a Natural Hiſtory of the Earth*; cui quidem cùm ſeſe oppoſuiſſet vir Celeberrimus, * Scriptis in lucem editis, eadem quâ ille, Latinâ nempe, Linguâ reſpondere è re judicavi. Quod idem tamen Scriptum Anglico quoque Idiomate publicaturus ſum, quàm primùm licebit per tempus, tantò magis autem, quòd *Geographiæ* ſit ſupplementum. Opportunum id erit & commodum paucis, quos quidem habemus, curioſis, & in ſtudio hocce verſatis, paucis dico, quandoquidem hujus generis Studia adeò parum hac ætate ſunt exculta, ut neminem non poſſit ſubire admiratio, quòd non

* D. El. Camerarius Med. Prof. Tubing. in Diſſertationib. Taurinenſ. Tubingæ editis. 8. 1712.

non latiùs me extenderim in hac materia.

Quæ proximè ſequuntur chartæ, unà cum animadverſionibus aliis in alia, quæ in *D. Freindij Commentariis* ſunt obvia, jacebant in Scriniis meis inde ab aliquo tempore utpote exaratæ hyemali tempore Anni 1716. mox à *Commentariorum* publicatione. Id heîc commemorare è re duxi, quoniam calculi, quos circa Morborum incrementum inſtitui, ad illud duntaxat tempus ſeſe protendunt; Pauciſſima inde ab illo tempore adjeci. Hucusque autem Scripti hujus publicationem diſtuli eum partim in finem, ut nanciſci poſſem tum peregrinorum, tum indigenarum Artis Magiſtrorum judicia circa rem, de qua agitur, & de qua propria mea cogitata in chartas conjeci, partim, quia ſperabam Typis priùs mandare Collectanea mea circa Oeconomiam Animalem, Obſervationibus & Experimentis nixa; quæ ipſa multùm afferent lucis iis, quæ

quæ nunc exhibeo; differenda tamen in aliud tempus, quandoquidem per negotia nunc non licet mihi eſſe adeò felici, ut comparere poſſim in publico: Defectum autem hunc ut quodammodo ſupplere poſſem, præmittere nunc volui brevem præcipuarum Actionum & operationum in Oeconomia Animali Ideam, juxta cum Anomaliis, quibus ea eſt expoſita, & Methodo, qua tractari poſſint & corrigi. Ideam hanc ut neceſſariam commendo iis ſaltem, qui Artis penetralia nondum ſubintrârunt, ante legendam, quàm pervenerint ad Tractatum ipſum.

Digitized by Google

IDEA

Naturæ Humanæ; Morborumque, quibus eſt expoſita: cum Methodo, iisdem medendi.

De Corpore Humano in ſtatu Sanitatis.

IN Stomacho primæ aguntur ſcenæ, principia heic ſunt omnium rerum Corpori vel proficuarum, vel noxiarum. Primæ impreſſiones, motus primi, qui hîc fiunt, prout regulares ſunt aut irregulares, ſecluſis externis accidentibus, Corpus reddunt ſanum, vel ægrum, Sanitatem firmam, vel interruptam. Stomacho ritè parante, & in Sanguinem diſpenſante, alimentum bonum ac laudabile, peraguntur omnia ritè in toto Corporis habitu; ſufficiunt Organa quævis ſuis muneribus, actionibus, paſſionibus, De Stomacho.

rebusque omnibus ad vitam neceſſariis. Turbata verùm hac ſcaturigine, conturbantur quoque Fluenta; & inundat ſaburra vitioſa in Stomacho genita neceſſariò totam Corporis texturam, quæ hinc ſua patitur incommoda. Collimat proin prima & præcipua noſtra in conſervanda, & reſtauranda, Sanitate cura ad Stomachum. Contenta quocunque modo ex hoc organo rejecta, in omni ætate, & perfectiſſimo Sanitatis ſtatu habent, præter alia, Bilioſum ſuccum. Teſtes hujus veritatis ſunt Vomitus, illi in ſpecie, qui obortis in Mari tempeſtatibus, & poſt ſtrenuas potationes contingunt. Vix credi poteſt, quantum hujus ſucci, & quàm frequenter hac via exoneretur: quandoquidem autem idem omni alia eveniat occaſione, qua quidem vomitus ſunt liberi & effectivi, clarum fit inde, ſuccum hunc eſſe naturalem, & ordinariè reſidere magis vel minus ejus in Stomacho. Excipiuntur hoc ſucco ingeſta ad Stomachum delata; continet autem is diverſæ naturæ Salia, dulcia, muriatica, Ammoniaca, amara,

De Digeſtione & ſalibus, ejus Inſtrumentis.

amara, acida. Hæc ritè conſtituta, & ſingula in proportione debita, agunt in ingeſta, & carnem in ſpecie diſſolvunt, digerunt, atque in tenue coagulum vertunt. Durante hac actione & conflictu excitatur calor, ſurgunt fumi & halitus. Inſufflatur inde Stomachus ad moderatam tenſionem. Premuntur hac ratione omnes circumvicinæ partes, ſpeciatim verò Truncus Arteriæ magnæ deſcendens, hunc ipſum in finem, retrò Stomachum, in prominenti ſpina Dorſi locatus, ut directè ſubjaceat ejus impulſui, actioni & modulationi. Pro ratione preſſionis Stomachi ad Aortam applicativæ, anguſtatur ea, & ſimul impeditur magis minusve Sanguinis deſcenſus. Patet hinc, expulſione Cordis æquali, majorem fluidi ſanguinei quantitatem influere in omnes partes obſtaculo ſuperiores, ſpeciatim in Cerebrum, quò ſatis fiat nobiliſſimi hujus viſceris neceſſitati, & obtineatur Naturæ ad vitales uſus operantis intentio. Namque præter officium digeſtorium, ad productionem Phænomenorum, Paſſiones Animi,

De calore naturali in ſtomacho.

De naturali ſtomachi inflatione, & preſſione in Aortam deſcendentem, ac inæquali inde orta ſanguinis diſtributione.

Neceſſarium id pro exercitio Paſſionum,

A 2 Gau-

Senſuum & Cogitationum.

Gaudium, Mœrorem, Metum, Iram concomitantium, Salia Bilioſa concurrunt, atque inſuper, quum ab his Ventriculi tenſio, ejusque in Arteriam ſubjacentem Actio regulata ſit, ad Cerebrum modulandum, Senſationem, Cogitationemque exerendam. Dependent hæc tam certò à Stomacho, quàm certum eſt, non ritè ſuccedere, depravatis bilioſis ſalibus, vel rebus ex alia cauſa ibi perturbatis; vel, ubi ſalia illa occaſione immoderatæ cibi potusve ingurgitationis, digerendo ſuperfluo oneri adeò ſunt occupata, ut cogitationibus ritè ſubvenire nequeant. Occupatis è contra his ſalibus nimiùm circa Cogitationes Digeſtionis opus neglectim magis procedit, in Nutritionis ipſius detrimentum. Hinc eſt, quòd qui ſtudiis & cogitationibus nimiùm incumbunt, plerunque ſint teneri, graciles, & ad conſumptionem proni. Tenuioris & ſubtilioris telæ, delicatiorisque conſtitutionis homines harum in Cerebrum actionum in ſe percipiunt Senſationem, eò quidem majorem, diſtinctioremque, ſi Sales bilioſi ſolito

to numeroſiores vim aliquanto majorem exſerant. Illi verùm, qui vel exiguam, vel nullam talem in ſe Senſationem habent, rogantur ſuum de hac re judicium ſuſpendere, donec per varia tum propria, tum aliorum, Experimenta pleniùs edocti rem habeant ſuo tempore plenè perſpectam.

Cibi digeſti, & potu diluti, ex Stomachoper Pylorum in Duodenum Inteſtinum delati, præter portionem illam ſucci bilioſi, quam ſecum ferunt, magis adhuc accipiunt per Ductum Biliarium, ibi ex Hepate ſe exonerantem. * Sic magis adhuc caleſiunt, & diſſolvuntur hac Bilis actione Alimenta. (Alimenti conditio in Inteſtinis, & quæ hic peraguntur.) Promoti per Inteſtina horum periſtaltica actione pars tenuior ac ſubtilior, exortâ in cavo Fiſtulæ Inteſtinalis levi impedimento & oppoſitione, ortâ ex flatibus ac halitibus à conflictu bilioſorum ſalium excitatis, transverſim agitur per vaſa Lactea, porróque defertur per Ductum Thoraci- (Tranſitus alimenti in ſanguinem.)

* Succus Pancreaticus, qui mucilaginoſæ eſt naturæ, & eodem cum Bile loco Duodenum ſubintrat, Inteſtinum illud oblinendo defendit contra Bilis acrimoniam & vellicationem, ne quid patiatur damni.

racicum ad Maſſam Sanguineam. Deteriori interim parte,& omni eo,quod Lactea vaſa ſubire nequit, vincente ſenſim obſtacula, & deſcendente, ut Excrementorum titulo extra corpus eliminari poſſit. In Somno Pylorus propemodùm clauditur,communicatio inter Stomachum & Sanguinem magna ex parte intercipitur, deſcenſus tum Alimenti, tum ſucci bilioſi, qui palmarium eſt Animalis actionis * & Senſationis † Inſtrumentum, impeditur, & multæ aliæ actiones in compage corporis remittunt ac ſuſpenduntur; Senſatio ipſa; Organa deducuntur ad majorem tranquillitatem & quietem: laxatur actio Cordis, & proin tardiorfit Sanguinis circulus. Hac ratione commodiorem nanciſcuntur occaſionem viſcera omnia & partes Corporis accipiendi & ſecernendi, ex communi fluidi ſanguinei maſſa, corpuſcula illa, quæ peculiariter inſervire poſſunt ſingulorum ſuſtentationi & nutritioni. Sic,ut maximum illud & primæ neceſſitatis opus peragatur præcipuè ac promoveatur tempore Somni.Dum circulat ſanguis per

De Nutrimento ad partes inprimis durante ſomno delato.

* conf. p. 8. 10. infra.
† conf. p. 10. infra.

De ſecre-

per corpus, defertur is ad varias Glandulas, Organave, varii generis Liquorum, ad varios uſus, ſecretoria; Tales ſunt Bilis, Semen, Lympha, Saliva, &, ut reliqua taceam, Mucilago illa Muſculos atque articulos, capitave Oſſium lubricans, & promtiora reddens ad actiones & exercitia. Aliis interim Glandulis excretoriis materiam, *vel inutilem, vel ſuperfluam per vias Urinarias, Cutaneas, ſudoris ſpecie, per pulmonss ſpecie halituum ex Sanguine eliminantibus. Liquamen nutritium vel Chylus, variis Salibus ſupra recenſitis ſtipatus, ex Stomacho & Duodeno in Vaſa ſanguinea delatus, per circulum Corporis cum Sanguine ductus, deponit, poſt naturales ſecretiones & excretiones varias, transparentem ſuum pallorem, induítque

tione variorum fluidorum, & ſuccorum ex ſanguine.

De ſecretione excrementitiorum fluidorum.

De colore ſanguinis.

* Quandoquidem pro variorum organorum & ſingularum partium formatione ac nutritione neceſſariò requiruntur varii generis & figuræ Corpuſcula, neceſſe omnino fuit, ut Lacteorum Vaſorum diameter major eſſet horum corpuſculorum maximo; hæc ipſa autem vaſa, quia non admittunt unius generis materiam, ſed indifferenter quaſcunque particulas diametro ſuâ minores, non poſſunt non ſubingredi corpuſcula minùs apta, Corpori, niſi eliminentur, nociva.

que purpuram,magis minusve ſaturatam, ad nigredinem ferè, pro majori minorive variorum ſalium quantitate ac proportione. Cutis color colori Sanguinis per vaſa ſubjecta transparentis debetur partim, partim mucoſæ cuidam vel gelatinoſæ materiæ in poris & interſtitiis prope ſuperficiem hærenti: differtque pulcher, floridus, rubicundus, purpureus, fulvus, oleaginus, niger, prouti hoc illudve prædominatur Salium genus, & excretio cutanea ac perſpiratoria, pro ratione Climatum calidorum, frigidorumve, copioſior eſt, vel parcior. Durante hac Salium & inde pendentis in ſanguine efferveſcentiæ lucta, excitatur tum in hocce fluido, tum in Corporis partibus debitus calor. Eadem eorundem ſalium agitatione, flatuumque & vaporum expanſione, Chylus, vel tenuis nutritius gelatinoſus ſuccus in vaſa ſanguifera introductus, tornatur quaſi in ſpumeas veſiculas, quas communiter vocamus Globulos. Expanſi hi Globuli, rurſumque per vices contracti, in vaſis Muſculorum ſanguiferis Inſtrumenta ſunt actionis Muſcularis.

De colore Cutis.

De calore Sanguinis, ac corporis.

Origo Globulorum Sanguinis.

Horum Uſus in Motu Muſculari.

laris. Argumentum vi huic validæ expanſivæ Globulorum præbet ſanguis recens ex vena in Antliam emiſſus, Aere exhauſto, & ſic preſſione externâ ſublatâ, ſubitò ex parvis bullis in longè majores, ſi non quoad integram maſſam, quoad maximam ſaltem ejus partem, ſurgens. Accreſcit Muſculorum robur ac vis pro multiplicationis, * amplificationis, & augmenti ratione, circa hoſce globulos conſideranda. Pondus huic ratiocinio addunt motus Epileptici, aliive Convulſivi, quibus ægri ut plurimum incredibile exerunt robur, triplo certè vel quadruplo majus naturali. Suntque Flatus, horum motuum cauſa, † communiter adeò activi & turbulenti, ut & Phlegma, quod Ventriculo ineſſe contigit, in ſpumas elevent: harum portio unà cum flatibus viam ſurſum ex Stomacho inveniens, & ore ſe promens conſtans eſt Criſeos, & ſoluti paroxyſmi indicium. Pyloro nondum clauſo ſi Stomachus à principiis in motum deductis infletur, & parxoyſmus convulſivus erumpat, continuo tumultu, & majori quantitate depro-

* conf. p. 17. infra.

† conf. p. 17. infra.

perant illa in Sanguinem, uſque dum curſus intercipiatur; in maſſam autem ſanguineam delata ſuas ibi partes agunt, & quavis occaſione vires ſuas exerunt. Alia potentiæ præmagnæ ibi in actum deductæ exempla præbent Animi Affectus, in minori quidem gradu Gaudium; in majori Ira; in majori adhuc Metus. Suam porrò conferunt ſymbolam Globuli in Actione Cordis, Syſtole & Diaſtole; ut & in diſtributione & Circulatione Sanguinis per Corpus. In ipſo Animali, haud ita pridem mortuo, halitus flatusve calidus per Thoracicum ductum tranſiens in Venam Cavam, & hinc ad Cor hujus actionem & Pulſum prorſus ceſſantem denuò reſtaurat. Iidem ſanguinis Globuli unà cum Aura vel vapore ex reciproco Salium bilioſorum conflictu excitato, diſtendunt placidè Vaſa Sanguiveha in omni Corporis parte, eaque reddunt percipiendis Objectis ſive Agentibus externis apta. Salia bilioſa ritè conſtituta, ſi adſint ſingula in juſta proportione, quacunque pergunt, placidam faciunt irritationem, & gratam naturalemve

In motu Cordis.

In Senſatione.

lemve in omnibus partibus Senſationem. Nervi, Arteriarum comites, concurrunt ad hoc ipſum negotium, tanquam totidem Chordæ tenſæ, propagando, transferendo, & continuando actionem ac Senſum. Omnia hæc debita menſura, pondere ac harmonia concurrentia talem producunt Machinæ humanæ conſtitutionem, talemve operationem, quæ illam animat, & vitalem reddit, aptam Motui, Actioni, Senſationi, Paſſionibus, Cogitationibus, & ad omnes Vitæ uſus & officia. Quamdiu hæc ita ſe habent, omnia in bono ſunt Sanitatis ſtatu: nec difficile erit ei, qui de Mechaniſmo hoc admirando clarum ſibi format conceptum, pervidere Artificem & Authorem Operis Sapientiſſimum.

Nervorum Uſus.

De Corporis humani animatione & Mechaniſmo.

De Morbis.

Quòd ſi verò nimiis Curis, Studiis, aut Mœroribus, Salia Digeſtioni neceſſaria abſtrahantur ab hoc Opere, & aliorſum impendantur; vel etiam Ingluvie & Intemperantiâ, inordinatâ Diætâ, aliisve hujusmodi cauſis

Stomachi Affectus. Indigeſtio.

ſis confundantur,& ſupprimantur, ſe-
qui neceſſariò debet Indigeſtio , & magna Ingeſtorum pars non ſatis attenuatur diſſolviturque redacta ſolum in Mucum vel Phlegma craſſiuſculum. Vel ſi quavis ex cauſis recenſitis, aut nimiâ pro Somno indulgentiâ, aut vitâ ſedentariâ, detentum in Stomacho Phlegma ſtagnet, putreſcit id ſenſim,& noxium evadit. Præterea durante hac ſtagnatione & morâ ſeparatur & extrahitur major extra ordinem Quantitas Salium , talium inprimis, quæ præternaturalia ſunt, & incongrua. Eſt Phlegma hoc viſcidum pronius tantò ad ſtagnationem, quantò eſt gravius, & viſcidius: acreſcitque Stomacho relaxato, & ab halitibus bilioſorum Salium copioſorum & vitioſorum invicem colluctantium inflato. Hiſce cauſis adſcribi debent præternaturalia Symptomata varia: Calor ſolito major, ex cauſæ incremento: Senſus Ardoris in ſuperiori Stomachi orificio; Morſicationes, Conſtrictiones: Inflationes, cum tenſivis hujus Organi Doloribus; & Hypochondriacæ, uti vulgò vocare ſole-

Salia in ſtomacho multiplicata & depravata.

Sunt cauſæ nimiæ inflationis & relaxationis ſtomachi.

Caloris nimii; Dolorum: Hypochondriacæ Paſſionis.

ſolemus, Paſſiones. Salia hæc ſi & numero peccent redundante, & vitioſis qualitatibus, actiones eorum intenſiores, & inordinatæ ſint neceſſe eſt. Exorbitant Paſſiones, Symptomatibus ſtipatæ haud communibus. Pronior adeſt diſpoſitio ad Iram, vel fortè ad Metum, & Mœrorem. Imò verò aggrediuntur nos hæ Paſſiones ſæpe invitos, absque cauſa externa irritante. Afficitur Corpus, & perficiunt Organa id, ad quod Cauſæ Inſtrumentales in ea agentes diſponunt. Ad eum ſæpe gradum ſunt Salia & numero plura, & qualitatibus vitioſa, ut ægrum prorſus exuto proprio jure imperio ſuo ſubjiciant & inſultibus. Hinc involuntarii Riſus, iique profuſi, Mæſtitia, Melancholia, Dolores, Lachrymæ copioſæ, omnia hæc verùm ægro invito, & absque incitamento externo. Remanent, tranſeuntibus licet his Paſſionibus violentis, in Corpore evidentia ſatis irregularium actionum; Saliumque horum deprædantium veſtigia. Atteritur iis Stomachus, & exaſperatur valde; proſternitur Appetitus, vitiatur Digeſtio. Salia hæc ita

Paſſionum Animi irregularium.

Ut & Senſationum.

aucta

aucta Senſationes quoque præter morem multiplicant, ac pervertunt, ut Organis Senſuum imponant ſoni vocesque non auditæ, Viſiones illuſoriæ, & repræſententur Actiones, Perſonæ & Res, quæ nullibi exiſtunt, niſi in hoc Fictionum Theatro. Ipſa hæc Salia, quia inſtrumentales ſunt cauſæ Cogitationum, multiplicata ita, multiplicant quoque Ideas, easque urgent adeò violenter, ut haud raro oriatur confuſio. Depravata confundunt atque pervertunt cogitandi vim, Solicitudines, Anxietatem & Diffidentiam inducunt. Imò verò ſuggeruntur & obtruduntur ſuppoſititiæ Cogitationes, non ſolùm homini diſſentienti, ſed invito prorſus. In ſupremo tandem exorbitantis numeri, & depravationis gradu læduntur Organa, vitiatur Corporis textura integra, eaque infertur Cerebro perturbatio, atque Confuſio, totique per conſequens Oeconomiæ Animali, ut in Deliria, Rabiem & Inſanam Phrenitidem cadat miſellus Homo. Hæc Salia ſicuti præſentiâ ſuâ haſce turbas movent, foràs pulſa præſertim per Vomitum,

Et Cogitationum.

Deliriorum, Rabiei.

eas-

easdem tollunt. Ubi obſervare eſt, operationis ſucceſſum eſſe feliciorem tantò, ad Senſuum & Rationis reſtitutionem, quò ægri Ventriculus agitatur magis, & vomitus materiæ bilioſæ eſt violentior: Exempla proſtant maximi ad probandum momenti, & talia, quæ omninò admirationem excitant. Stomacho à colluctantibus Salibus bilioſis, & magna Flatuum inde ſurgentium copiâ præter morem inflato, & ſurſum lato, premitur & Diaphragma, anguſtatur Thorax, patiuntur Pulmones cum Corde, oritur Dyſpnœa, Languor, Deliquia, puſillanimitas, virium animi Corporiſque dejectio. Cor & Pulmones ut jura ſui ſpatii, & actionum ſuarum libertatem defendant, continuo & tanto ſæpe niſu extrorſum trudunt Pectus, ut tandem præter morem craſſum reddatur & prominens: ſimul & preſſurâ Stomachi Dorſum elevetur in Gibbum. Stomachus ipſe ſolito magis premens Dorſum & Aortæ Truncum deſcendentem cauſatur ſubinde ibi Pulſationem fortem, ad eum aliquando gradum, ut contra nitente

Symptomata & mala orta ex nimia inflatione Stomachi, & Preſſione Aortæ Deſcendentis. Morbi Dorſi, Thoracis, Pulmonum, Cordis & Cervicis.

tente Corde, Arteriamque dilatante, oriatur alternus aperturæ & clauſuræ ſenſus, familiaris ſatis tenerioris Conſtitutionis hominibus, præſertim ex ſexu ſequiori. Cor ipſum ut vincat reſiſtentiam, & Sanguinem ad inferiora promoveat, extremos impendit nixus, & intendendo actionem pro tempore palpitat. Quam diu via non eſt libera, nec impedimenta deſcenſus remota, oneratur Cor nimia Sanguinis mole, ut & Pulmones, Collique vaſa, unde & id pro tempore veluti ſtatuæ inſtar rigeſcit, ac ſæpe intumeſcit. Obruuntur & vaſa ſanguinea Capitis, Faciei, Aurium, Oculorum, ac Cerebri, unde varii naſcuntur Morbi dictarum modò partium: Faciei calor, rubor, convulſiones: In Auribus Tinnitus, & Surditas: in Oculis Nebulæ, Caligo, Scotomia: in Capite Dolor: Gravitas & plenitudinis ſenſus in Cerebro. ubi Pulſationes ſæpe permagnæ & moleſtæ, ut & in Brachio, Dorſo, cum Cordis Palpitatione poſt ſe trahunt Vertiginem & Apoplexiam; quæ Symptomata ſunt numero & gradibus magis minusve intenſa pro Sanguinis

Affectus Capitis, Faciei, Aurium, Oculorum ac Cerebri.

Signa durantibus

guinis præter naturam elevati ratione. Quemadmodum durante Sanguinis nimii ad ſuperiora jactu evidentia admodùm Plenitudinis ibi redundantis proſtant indicia in morbis modò recenſitis, juxta cum partium pleno Habitu, Rubore, Calore, & Vigoris * augmento; ita non minùs clara ſunt deficientis in inferioribus partibus, pro tempore macilentis, pallidis, algidis, debilibus, indicia. Singultum cauſantur Flatus ſurſum tendentes ad Oeſophagum, accedente ſuperioris Orificii Ventriculi clauſurâ repulſi ac reſiſtentes. Surgentes illi, & in copiâ quidem, ſed in viâ, ad Sterni ſummitatem ob loci anguſtiam, detenti premunt Fiſtulam Pulmonalem, & Aortam adſcendentem, ad eum ſæpe gradum, ut intercipiatur & ciborum deglutitio, & Sanguinis ad Cerebrum curſus, facie tunc pallidâ, ut hoc in ſtatu homo ſit viva Mortis imago. Preſſuræ huic, ſi minor ſit, debentur clamoſæ Inquietudines Infantum, & Fœminei Sexus Strangulationes; ſi major, Epilepticæ, & Hyſtericæ vulgò dictæ Convulſiones. Salibus

hiſce Thoracis & Partium ſuperiorum Affectibus indicantia Sanguinis plenitudinem in ſuperioribus, defectus in inferioribus.

* conf. p. 9. ſupra.

De Singultu.

De Convulſionibus Epilepticis & Hyſtericis, ita dictis.

B in

De Ructibus, Siti, Siccitate, Linguæ decoloratione, Pica, Inappetentia, depravatione Guſtus, Sorditie Oris, Vomitu.

in tam inordinato Statu in Stomacho verſantibus, ſi tranſitus ſit liber ſatis, oriuntur Ructus, Sitis; Siccitas, Linguæ decoloratio, Pica, Appetitus depravati. Muco ibi putreſcente oritur Appetitus defectus, Oris Linguæque ſordities ſæpe cruſtoſa, Guſtus depravatio, Nauſea, Vomitus. Patitur & Somnus ſuas anomalias à tumultu bilioſorum Salium in Stomacho, ſi vitioſa ſint, Pylori clauſurâ impeditâ. Redditur is inquietus & parvus: irruunt Comatoſi Affectus; Inſomnia ex perturbatione, & irregulari horum Salium actione in Stomachum, oſcillationibusve in Aortam & Cerebrum pariter anomalis, eaque ab atra Bile terriculoſa, horrida, melancholica.

De Somni anomaliis, Comatoſis Affectibus, Inſomniis.

De Incubo.

Somno irruente inflant ſubitò, elevant, atque diſtendunt Stomachum fumoſi halitus ex hiſce Salibus orti, ſi contracto Pyloro intercludatur exitus: hinc Strangulationes, Terrores, oppreſſiones Pectoris, Incubus.

De nutrimenti defectu, & Conſumptione.

Somno turbato, interrupto, inquieto deficit partibus opportuna alimentum ſibi appropriandi occaſio, id namque, quod ſingulis reſtaurandis

dis eſt adæquatum, & ex integra Sanguinis maſſa deſtinatum. Nam ubi deficit Digeſtio, non ſolvuntur, ut decet, ingeſta, ſed Muci viſcidi formam adſumunt, qui craſſus nimis eſt, quàm ut organa nutrienda ſubire poſſit, & oneri potius eſt, imò & deſtructioni Partibus. Prætereà corroditur, & abſumitur à copia Salium bilioſorum Sanguini * illatorum Nutrimentum Partibus jam ante applicatum. His rerum circumſtantiis ſequi neceſſe eſt conſumptionem & Maciem. Vitioſa Stomachi contenta variis cauſis mota, & deorſum pulſa, varia pro varia illorum quantitate, Agentiumve cauſarum ratione excitant phænomena. Ad cauſas autem referri debent nimia Exercitia, inordinata Diæta, Remedia incongrua, Venena, Peſtifera aliaque contagioſa Aura, intenſus Calor, nimium Frigus, & ſimilia. Subitanea & copioſa harum Cauſarum in Inteſtina deturbatione fit horum Relaxatio: &, Vitioſa Salia bilioſa ſi fuerint in Conſortio, eorundem arroſio, Tormina, Colica, Teneſmus. Copiâ horum Salium

* conf. p. 20. infra.

Cauſæ agentes, vitioſa Stomachi principia excitantes.

Deſcenſus horum Principiorum in Inteſtina. De Diarrhœa, Colica, Teneſmo,

 &

Dyſenteria. & Acrimoniâ aperiuntur, quà tranſeunt, Vaſa Sanguifera, oriturque Dyſenteria. De Alvi conſtipatione. Lentiori per Inteſtina motu, calorisque incremento ſiccantur Scybala, conſtipatur alvus. Tranſitus pravæ materiæ, Pituitæ, Bilisve in Sanguinem: & Symptomata, morbive hinc orti. Halitus Flatusque pariter adaucti majorem in Inteſtinis cauſantur moram: hinc major tranſit ad Sanguinem contentorum, Muci & Vitioſæ bilis copia. Hæc in Glandulas, Vaſa, & Partes inprimis ſupra Aortæ deſcendentis curvaturam ſitas, Morbos Pulmonum, Cerebri aliosque varios gignunt, augentve. Viva nimis Senſatio. Inflationes Vaſorum & Partium. Halituum in Sanguine major proventus majorem inſuper efficit Vaſorum tenſionem, & delicatiorem Tactus in illis Partibus Senſum; in Vaſis majoribus, Veſica Urinaria, Scroto, Utero, Inflationes, Diſtenſiones, aliaque mala. Febres, Inflammationes, Dolores. Bilioſa Salia copioſa, & fervida, nimis, æſtum inducunt Sanguini, & Corpori, unde Febres; quà tranſeunt cunque, Senſationem excitant moleſtam, dolorificam; in partem quampiam depoſita, ibique fixata Inflammationes, dolores, Exulcerationes; Speciatim verò Pleuritidem, Peripneumoniam, Anginam,

nam, etiam Gangrænas; Dolores Scorbuticos, Rheumaticos, Arthriticos, Podagricos, & hujusmodi alia. Phlegma ſi tranſeat in Sanguinem, reddit eum craſſum & glutinoſum; qui inſpiſſatus nimiùm movetur incertâ admodùm lege & ordine per vaſa, ac veluti per irregulares ſaltus; hinc Vellicationes, Subſultus, Paralytici Affectus, Tremores, Convulſiones: eædem Cauſæ ſubtiliſſimis capillaribus tubulis Sanguiferis impactæ cauſantur Obſtructiones, diſpellunt Salia bilioſa, Caloris & Senſus principia, unde Algor, & Stupor; confertim ſi irruant, Tumores, Arthritici, Oedematoſi, Hydropici; in Glanduloſis Partibus Strumoſi, Scirrhoſi, Cancroſi, Bubones: ſi Bilis prædominetur, Phlegmones, aliive Tumores calidi. Febre accedente, Exanthemata, Puſtulæ, Carbunculi, Eruptiones aliæ. Iisdem cauſis debentur Eryſipelas, Impetigines, Herpetes, Scabies, Elephantiaſis, Lepra. In Sanguine abundans Pituita, & fortè ad Cutem depoſita, reddit ejusdem & Faciei habitum pallidum, vel livi-

Pituita vel Gluten in Sanguine.

Tremores, Convulſiones, Paralyſes.

Hydropes, aliæve Intumeſcentiæ.

Puſtulæ, & ſimiles Eruptiones;

Cutanei Affectus.

Mutatio Coloris in Cute, & Temperamentis.

 dum.

dum. Bilis prava redundans dat fœdum, fulvum, aliumve colorem, pro varietate dominantium in ea Salium. Temperamentorum hæ varietates quoniam ex iisdem oriuntur cauſis, ex quibus & morbi, probè intellectæ, & ab invicem diſtinctæ, ingens accendunt lumen pro notitia cauſarum morbificarum, ſtatus ægri, & cura felici ſucceſſu ſuſcipiunda. Prodit autem ſeipſam biliosa materia copiâ majori ad ſuperficiem corporis detruſa, tranſparendo per cutim, colore proprio, viridi, flavo, rubro, purpureo, cœruleo, nigro, eoque vel diffuſo per totum Corporis Habitum, ut in Ictero, Febribus Scarlatinis, & Inflammatoriis aliis, vel hinc inde in maculas diſperſo, uti in Febribus Scorbuticis, & Peſtilentialibus. Produnt ſe pariter Salia Bilioſa in Sanguine redundantia in Fluidis utilibus inde ſecretis, Semine, Lympha, Saliva, Mucilágine, quæ & acriora redduntur & calidiora, ſæpe etiam iis tinguntur coloribus, qui reſpondent Salibus prædominantibus. Promunt & hæc Salia Fluida excrementitia.

Scarlatinus color cutis in quibusdam Febribus: maculæ in aliis, Scorbuto.

Vitioſa principia in Fluidis naturalibus,

ut & in Excrementitiis.

Sputo

Sputo excretum Phlegma eſt dulce, vel amarum, vel ſalſum, vel acerbum, vel acidum, tinctum item colore flavo, viridi, nigro. Sudor ſalſus, acidus, in tranſitu ſuo excitat dolores urentes, cutim ipſam arrodens. Sunt Lachrymæ calidæ, acres, ſalſæ, corroſivæ. Urina, præter Phlegma (quod craſſum nimis & copioſum vaſis impactum ſuam ſymbolam confert ad formationem Calculorum in Renibus & Veſica) ſecum fert Salia, eaque vel Saccharina, ut in Diabete, vel Ammoniaca, muriatica, amara, acida. Impertiuntur hæc Calorem & acrimoniam urinæ, unde Nephritis, doloresque in omnibus viis urinariis, imò &, accedente corroſione & laceratione vaſorum, Urina Sanguinea. Eidem Salium & Copia & qualitate peccantium, Sanguinique illatorum, vitio debentur Hæmorrhagiæ Uterinæ, Narium, Vomitus Sanguinei, Hæmoptyſes; ſed addi debet corroſioni in tribus poſtremis Morbis impetus ac vis tantò fortior Sanguinis in partes, occaſione Aortæ deſcendentis à Stomacho inflato preſſæ.

Calculi Renum & Veſicæ.

Diabetes.

Stranguria, Mictus cruentus.

Hæmoptyſis, & Hæmorrhagiæ aliæ.

 A'pi-

Apoſtemata. Ulcera.

A' pituita craſſa, frequenti in hiſce caſibus comite, tenuioribus tubulis impacta extenduntur hi nimiùm, & attenuati ſi non rumpuntur, ſaltem Salibus irruentibus minùs reſiſtere poſſunt. Phlegma tenuius Salibus biliosi; magis minusve imprægnatum, ad cutaneam Corporis ſuperficiem delatum excitat ibi Apoſtemata; Exulcerationes, Puſtulas, Veſiculas, Perniones. Sic & in Viſcera partesve internas ea quantitate depoſitum, ut nimiâ diſtenſione tandem rumpantur vaſa, cauſatur & hîc Apoſtemata, quale eſt Empyema; bilisve vaſa corrodens ibidem Exulcerationes.

Morbi communiter conjuncti, quia cauſæ ex eodem fluunt fonte.

De Morborum mutationibus, metaſtaſi, Criſi.

Symptomatum Morborumve omnium cauſæ quoniam ex eodem fluunt fonte, non mirum, ſi tot ſimul & frequenter, principiis morboſis iisque copioſis in motum actis, concurrant. Et certè vix eſt unum ex gravioribus Symptomatibus, Naturæ humanæ infeſtis, quod non vel præcedat, vel comitetur, vel inſequatur Variolas, aliumve Morbum graviorem. Hæc ipſa eſt ratio, cur, de Variolis mox tractaturus, neceſſe habeam conſiderare tot alios

alios morbos, atque Symptomata, & ad examen revocare Remedia. Certum hoc eſt, tantam eſſe illorum affinitatem, & adeò arctam connexionem, ac dependentiam, ut nemo feliciter eos curare poſſit, niſi habitâ ratione cauſarum omnium, ubi reſident cunque expellendarum, & extra pomœria Corporis eliminandarum. Transferuntur autem è loco in locum, prouti organa, unum poſt alterum, illas diſpellunt, ſeſeque ab iis liberant. Inde mutationes Symptomatum & Reciprocationes, Metaſtaſes, Criſes. Theſin hancce confirmant ſectiones Cadaverum, quæ præter Partes primariò & certò affectas, injurias communiter exhibent aliis quoque, & ſæpe omnibus illatas. Quamvis verò cauſæ Morborum omnes ex uno eodemque fonte proveniant, variant tamen illi & Symptomata, pro cauſarum varietate, numero, quantitate, pravitate, majori minorive: Alvi conſtipatione, vel Laxitate; cauſarum rejectione per Vomitum, dejectione per Alvum, vel tranſitu in Sanguinem, circuitione per totam ejus maſ-

Morborum ingens varietas, non obſtante cauſarum ortu ex eodem principio.

ſam, vel impetu ac depoſitione facta in unum aliquod viſcus, vel partem; robore unius vel reſiſtentia majori derivante ad alias infirmiores; ætate juvenili, vel ſenili; diſpoſitione Sana vel valetudinaria: conſtitutione Aeris, Diæta, modo vivendi, aliiſve externis circumſtantiis. Cauſæ hæ morbificæ, prouti magis minusve ſunt vitioſæ, & numeroſæ, citò vel tardè in motum actæ, Morbos reddunt acutos, vel Chronicos, durationis longæ, vel brevis. Nec mirari ſubit, Hominem tot ac tam variis obnoxium eſſe Morbis, ſi conſideremus, tot pati poſſe mala organa Digeſtionis, Paſſionum, Vitæ, Senſuum, Cogitationum à tot humoribus quantitate & qualitate peccantibus, motusve anomalos inducentibus. Eſt Digeſtionis cauſa abſolutè neceſſaria; in tantum quidem, ut viſcera, parteſque internæ, ubi reſidet, vel quà tranſit, minùs longè ſentiant exterioribus. Hoc ni foret, ob acrimoniam & intenſam illius principii actionem perpetuo afficerentur dolore atque incommodo. Propterea autem, quia obtuſiori ſunt ſen-

De Morborum frequentia, & Vitæ inſtabilitate.

ſenſu, cauſa hæc admodùm exuberet, ac depravetur neceſſe eſt, ſi oriatur quædam ejus perceptio. Hinc ſanè eſt, quòd morbi communiter adeò ſint violenti, ſubitanei, & difficilis tractationis; quódve adeò pauci terminum Vitæ ordinarium tranſcendant, vel etiam ſeptuageſimum annum attingant. Ut hic terminus ſit fixus, ipſo Vaſorum Lacteorum numero adaptatus, atque commenſuratus. Qui numerus is eſt, ut Corpori naturâ Sano & benè conſtituto, ſufficiant nutriendo, & conſervando ad prædictum terminum, vel tantillò longiorem, ſi non occurrerint niſi ordinaria vitæ accidentia; nempe, injuriæ Aeris & Tempeſtatum, curæ vitæ communes, & quicquid in ordinario vitæ decurſu turbat Digeſtionem, Alimentive ſolutionem; vel id ipſum præcipitat, aut ante ex Stomacho exturbat, quàm digeri potuerit, ut violenti motus à paſtu, & hujuſmodi alia. His Accidentibus alimentum crudum nimis in Lactea Vaſa delatum, ſenſimque impactum glutinoſitate ſua cauſatur ibidem moram & Obſtructiones *:

De Senio, communi vitæ periodo, Morte.

* conf. §. 69. infra.

His

His ipſis autem vaſis, uno poſt alterum, obſtructis, officioque ineptis neceſſe eſt impediri tranſitum in Sanguinem; deficere robur, Vigorem, & Nutritionem; pro ratione vaſorum obſtructorum infirmari ſenſim corpus, emaciari; id quod contingit ordinariè ætati provectæ, iisve Temperamentis, quibus Salia bilioſa abundant. * Quò plura, ſucceſſu ætatis, officio ſuo ſubducuntur Lactea vaſa, eò deficit Corpus magis & magis: tandemque inevitabilis ſequitur Mors, ſi tot obſtruantur, ut reliqua nutriendo corpori haud ampliùs ſint ſuffena. Eſt hæc communis Hominum ſors: his modis figuntur atque determinantur Vitæ limites ordinarii. Verùm enim verò, ubi loco Vitæ regularis ac temperatæ committuntur enormes in Diæta errores, Indigeſtionem ad altiorem gradum evehentes, Vita tranſigitur Luxu, Voracitate & Ebrietate, Voluptatibus, Paſſionibus Animi exorbitantibus, obrui magis neceſſe eſt & turbari Lactea, aliave delicatæ texturæ organa atque Vaſa, fata properare, Vitam decurtari, ultimum Vitæ

* conf. p. 20. ſupra.

tæ finem accedere propiùs & propiùs. Id ipſum faciunt quoque Medicamenta, quibus Vitioſa Stomachi Saburra expellitur, transferturque in Lactea Vaſa; inprimis verò, & certo non minùs quàm magno Structuræ noſtræ damno, Purgantia nimis levia, utpote quibus commovetur quidem & exacerbatur moles indigeſta, ſed non, ut quidem decet, Corpore eliminatur. Certum eſt, de quo pleniſſimè ſum perſuaſus, deterreri poſſe, pavore ſuborto, & diribitorem talis modi remediorum, & ingurgitatorem, ſi ex poſt facto inſpicere daretur Corpus, & contemplari ſtrages, quas hujusmodi Tentamina parant, in menſium, imò fortè annorum decurtationem. Conſiſtit omnis & Sapientia Hominis & Felicitas in Stomachi ac Digeſtionis cura, atque principiorum ibi reſidentium juſta directione. Hoc inſigne officium Medici, hic Labor, exhibere hujus Directionis Leges atque Præcepta; & perſpicit nemo non facilè, quanti interſit Humano Generi, ut Artis Doctores his probè ſint imbuti, quantumve inmineat ex eorun- *Inſigne Artis Medicæ Momentum.*

dem

dem neglectu periculum. In confeſſo hoc eſt, quamdiu machina corporis perſiſtit, debere & exorbitantias, errores atque Anomalias ad certas reduci regulas atque Leges, ſed ab iis, quibus ſtructura corporis, cauſæque Anomaliarum probè ſunt perſpectæ. Has qui poſſidet dotes Medicus, * eâ fide, vigilantiâ, humanitate, quam quidem opus tanti momenti requirit, ſuo munere defungens, judicio optimi ſimul judicis & Medici expertiſſimi, Philoſophus eſt, juxta modulum primi Structuræ artificioſiſſimæ Artificis operans.

* ὁ ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος. Hippocr. περὶ εὐσχημ. §. 3.

De Remediis.

Rerum naturalium conſtitutiva principia ſive Corpuſcula non alterantur unquam.

Satis patet ſuperque ex omnium Temporum Hiſtoria, & rerum actarum conſideratione, non mutari unquam corporum conſtitutiva principia, † ſed eſſe ſemper, continuarique eadem. Neque ſuppetit ratio vel minima, quæ nos credere jubeat, mutatum fuiſſe unicum corpuſculum quoad Figuram, Magnitudinem, Gravitatem, Soliditatem, aut Conſtitutionem,

† De his vid. Nat. Hiſt. of the Earth. Part. V.

nem, modo quocunque, à prima ſui productione ad hoc uſque momentum: neque naturalibus mediis mutari poſſe unquam. Certum hoc eſt, mixturas eorum & combinationes eſſe infinitas, per conſequens & ſpecies & apparentias externas, ſeu alterationes quoad ſenſum. Verùm ſeparata rurſus, & evoluta ſemper ſunt eadem, primitivis ſuis dotata proprietatibus. Eadem prodeunt ſemper, invariatâ eſſentiâ, cuicunque licet examini, & intenſiſſimi Ignis, ac penetrantiſſimorum menſtruorum torturæ ſubmiſſa.

Diſcours of Vegetation. Transact. n. 253.

Patet hinc, quàm ſint vana, illuſoria, & malè fundata, quæcunque pro Metallorum transmutatione Tentamina. Fide nunc, & tandem uſu excidit hocce conamen, renitente & Ratione, & Temporum omnium conſtanti Experientiâ. Nihilominus adhunc uſque diem valet Transmutationis doctrina in re infinities majoris momenti, qualis eſt Hominis Vita atque Sanitas; &, quod ætas vidit noſtra, magno admodùm hominum etiam infimæ ſortis & illiteratorum prorſus ſucceſſu. In quantas conjecerit cunque bonorum

Metallorum nulla transmutatio.

Chymerica atque imaginaria communis Notio de alteratione Principiorum per Remedia Alterantia dicta.

norum jacturas Metallica tranſmutatio, certum tamen hoc eſt,ex hac Remediorum immenſam profluxiſſe Auri ſummam. Utcunque rem conſideremus indulgenter,candidè fateri neceſſe eſt, tranſiiſſe ad ægrorum commodum, vel nihil, ex pompoſa *Alterantium Medicamentorum* ſerie. Altum ſanè tenet ſilentium Natura. Docet è contra communis uſus, ſiniſtros admodùm & fatales habuiſſe plurima illorum effectus. Sunt quidem, quæ cauſas morborum è loco in locum transferunt, & per conſequens Symptomata immutant; ſunt alia, quæ pro tempore involvunt, ſuffocant ac ſupprimunt: vel etiam Organa ſtupefaciunt,& dolori reddunt inſenſibilia; verùm ſi remaneant intus, remanent & Qualitates iis Naturâ inhærentes, per conſequens & noxiæ, neque illa deſerunt unquam. Proin citiùs tardiusve principia illa evoluta non erunt non damnoſa. Ipſa quoque, quæ illa inviſcabunt ac captivabunt, Medicamenta, captivabunt & principia alia bona & ſalutaria, quibus pro tempore carere debet corpus.

pus. Ita ut tandem Arte educi debeant hæc Principia, ſi non ejiciantur à Natura pro ſui defenſione ab illis ſolis irritata, vel etiam à Medicamentis fortè mage noxiis. Sic Phlegma, & indigeſta moles ſtagnando putrefacta, nimiam bilioſorum Salium quantitatem ſuggerens, quia cauſa eſt omnis mali, morbis hinc ortis obviam iri nequit, niſi hujus ipſius cauſæ remotione; inductâ nova meliorique Digeſtione, & ſucceſſiva fluidorum renovatione. * Salia etiam naturalia, corporique amica, ut moderatâ quantitate placidum conciliant Senſum, ita numero nimis aucta excitant doloroſum, tandemque, ſi numerus ſuffecerit, in quapiam parte fixata eam deſtruunt, vel etiam machinam Corporis integram. Neque evitari poſſunt hæc mala, niſi Salium numero diminuto. Verùm ſi Salia adſint vitioſa, incongrua, talia erunt, quamdiu in Corpore hærent; expellenda proin quantocyùs. Collimat huc atque conſpirat omnis & Ratio & Natura. † Impræſentiarum intimandum mihi eſt, quo uſque Medicamenta Alterantia ad

Non facta unquam mutatio in corporis commodum, niſi ſucceſſivâ rerum in illo renovatione, & noxiorum principiorum remotione, naturaliumque ſubſtitutione.

* conf. §. 56. infra.

† conf. §. 66. & ſeqq.

Præcipua & Eva-

cuantium Remediorum Impedimenta.

ad ſcopum hunc conſequendum tendant; idque, quod Praxi Evacuationum ſufficiat, absque quòd ad ſpecialia deſcendere neceſſum habeam. Id pro hac vice unicè inſinuari debet, quòd pro obtinendo felici evacuationum ſucceſſu vitioſorum Salium acrimonia ſit temperanda, & eorum colluctatio reprimenda. Fruſtratur & intercipitur ſæpiſſimè Evacuantium Remediorum operatio,ubi nulla moniti hujus habetur cura. Eſt hæc certè palmaria cauſa, cur Corpora quædam ſint Purgantibus tantùm non invicta. Accedunt aliæ cauſæ, ut nimiæ Stomachi ac Inteſtinorum Inflationes, horumque Obſtructiones à Pituita,& Fæcibus induratis. Verùm faciliùs tractantur Salia hæc & ejiciuntur ſubacta priùs, id quod vix aliâ viâ commodiùs peragitur,quàm remediorum oleoſorum & unctuoſorum uſu. His quippe defenditur Stomachus contra eroſiones & dolores, quos quidem illa cauſari ſolent. Lubricantur membranæ, & via Stomachalis ac Inteſtinalis contentis vitioſis facilitatur. Reprimitur ſimul æſtus, ac fumi ex Salium

Corporis præparatio pro Evacuatione materiæ vitioſæ neceſſaria, facilis & felici eventu haud carens.

Effectus eorum immediati & ſalutares in omnibus caſibus, ſi ritè adhibeantur.

Salium luctâ orti diminuuntur ; per conſequens quoque impeditur Stomachi Inflatio ac Preſſio in Aortam deſcendentem,ac prævenitur Morbis Dorſi, Thoracis ac Capitis. In ordinem rediguntur Paſſiones , Senſus & Cogitationes. Obtunduntur Salia, quibus ad Inteſtina tranſeuntibus adſcribi debent Tormina , Colica , ac Dyſenteria, eorumque acrimonia lædens infringitur. Halitibus,qui majorum obſtructionum ac moræ cauſa ſunt in Inteſtinis, diminutis minuuntur Obſtructiones ipſæ, tranſitque per conſequens minor vitioſorum Salium & putridi Phlegmatis copia ad Sanguinem, & corporis habitum. Dum ita temperatur vitioſorum Salium acrimonia, minuiturque tum obſtructio , in primis viis, tum tranſitus in Sanguinem , ſiſtuntur ad tempus varia Symptomata ac Morbi ; Paralyſes, Febres, Inflammationes,Dolores, Tumores,Puſtulæ,Exanthemata alia; Corporis Fœditas,Cutis decoloratio, Icteritia,Maculæ, Eroſiones Carnis & Cutis: vitia Lymphæ,& aliorumFluidorum ; Sudor & Urina nimia ; Ero-

ſiones & impetus in vaſa Sanguifera nimius, indéque oriundæ Hæmorrhagiæ: Salium ex Abſceſſibus, & Ulceribus effluxus, unde fiunt & doloroſa, & obſtinata, & intractabilia. Prorſus tandem remittunt & ceſſant incommoda hæcce omnia, ſi congruo modo per evacuantia corripiantur in ipſo Fonte principia vitioſa, reſidentia partim in Ventriculo, partim ad Inteſtina, & hinc ad Sanguinis maſſam manantia, & ex Corpore eliminentur.

Finalis morborum eradicatio per remedia evacuantia.

De aliis Medendi Methodis.

Genuinam hanc eſſe repræſentationem, & Naturâ ipsâ fundatam, perſpiciet facilè, cui obſervationes circa Corpus, Morbos & Remedia inſtituendi conceditur occaſio. Neque erit difficile, ad trutinam hanc examinare Methodos alias quaſcunque, & de iis ſingulis probum ferre judicium. Methodum, exempli causâ, edulcorandi & corrigendi Sanguinem, abſque prævia Ventriculi, qui errorum in Sanguine Fons eſt, evacuatione & expurgatione: Methodum ſiſtendi Vomitus, Diarrhœam, Dyſenteriam, absque præviâ Corporis roboratione, & materiæ Naturæ infenſæ per haſce

haſce vias ejectione: Methodum reprimendi Sudores nimios, Diabeten, Fluorem album, Hæmorrhagias, Tuſſes, Sputationes, Rheumata, repellendi cauſas Dolorum, Tumorum, Puſtularum, absque prævià interceptione & excretione cauſarum efficientium & conſervantium, Fontiumque ipſorum, unde derivant, expurgatione. Videntur ſanè hujus generis Methodi irritas reddere Naturæ pro reſtituenda Sanitate, & Vita ſalvanda vires atque conamina.

MEDICINÆ & MORBORUM STATUS;

Juxta cum Inquiſitione in Cauſas nuperi eorum Incrementi. Speciatim verò VARIOLARUM; & Animadverſionibus circa novam Methodum Purgandi in hoc Morbo.

Occaſio hujus Diſcurſus.

Vita, ſi optima, brevis: eaque, ſine Sanitate comite, incommoda. Hæc ubi deficit, ſibi ipſi non eſt Solatio, nec aliis commodo. Conſiſtit autem in hoc, quod Mundo præſtamus, officio generoſi Animi ſolida, atque duratura Voluptas. Interim tamen proſtant ex omni parte evidentiſſima teſtimonia, quàm parùm firmo communiter nitatur pede Sanitas, & quàm multas multi morbi edant Strages, ſpeciatim Variolæ, quæ pronuper plurima nobis, & graviſſima, intulêre damna. Hæc ego, pro meo erga Patriam, eoque tenero, affectu pervidere, vel obſervare, non poteram absque inſigni Animi commotione. Diminuta hæc, quæ ægrè me ferebat, mole-

moleſtia, ex quo inter Commentarios *Dr. Freind* ad *Hippocratis de Morbis popularibus Libros I.* & *III.* nuper evulgatos unum offendi, qui tractat de *Variolis*. Legens, quæ habet ibi, & attentè conſiderans, utcunque in Authoris laudem & æſtimationem feror, à me tamen obtinere haud poteram, ut Methodo ſuæ purgandi ſub Febris ſecundæ acceſſum, in Confluentibus Variolis, ſubſcriberem. Conatur equidem ſtabilire eam Auctoritate & Praxi *Rhaſis, D. Sydenhamij*, & *D. Radcliffij* *; junctis Teſtimoniis & Judiciis * p. 87. 88. Medicorum qnorundam *nunc viventium*, quorum Epiſtolas luci conceſſit publicæ. † Quamvis nolim detractum † p. 103. & ſeqq. quidpiam laudi huic Viro debitæ, diffiteri tamen haud poſſum, optâſſe me, ut Symptomatibus recenſitis & cauſas eorum addidiſſet, normamque appoſuiſſet & legem Naturæ, juxta quam ſolidum circa hanc materiam ferri poſſet judicium. Id quum omiſerit, omnes ego intendi Vires, ut molirer; tantò autem magis, quòd, meo judicio, hæc purgandi methodus nec Rationi reſpondeat, nec Naturæ; imò

verò ſæpiſſimè non duntaxat ſit periculoſa, ſed fatalis. Etiam ſæpiſſimè è medio ſuſtulit ægrum Diarrhœa à cauſis internis, Naturæ ductu, orta, applicatis licet extremâ ſollicitudine remediis.

De Theoriis & Hypotneſibus. Philoſophia Medicinæ perutilis. Neceſſaria in cauſas morborum inquiſitio.

II. Quicquid hactenus Hypotheſium publicavit *D. Freind*, ſpeciatim in hîs, de quibus impræſentiarum, Commentariis, vel firmo ſatis ſtat talo, vel tale ſapit ingenium, quo admodùm delector: Non minori interim affectu latus erga Hypotheſes *D. Williſij*, *D. Sydenhamij*, *D. Morton.* aliorumve Medicorum, quibus *D. Freind* *adeò eſt infenſus; nullâ licet, excluſis aliis, præſcribendi leges vel interpretandi Naturam prærogativa gaudens. Verum id eſt, antiquiſſimos pariter ac recentioris ævi Philoſophos diverſarum Nationum præcellentiæ Titulos acquiſiviſſe ex formatione Hypotheſium: Neque hac in parte quidquam vicinis populis cedit noſtra Natio; conſtat quippe, quàm magno *Baconianæ, Gilbertianæ, Hobbeſianæ, Boylianæ, Walliſianæ*, aliæ, exceptæ fuerint applauſu. Conſtat, quanti ſint

* Epiſt. Dedicat. p. 15. ſeqq.

momen-

momenti, quantæ extenſionis nuperæ Ill. *Iſaaci Newtoni.* Et fuit hic certè Operum ſuorum ſcopus palmarius; & quam circa *Attractionem* dedit, illuſtrare ſpeciatim & confirmare anniſus fuit *D. Freind**. Nulla ratio nobis perſuadet, omnium ætatum & Nationum Philoſophos judicâſſe perperam circa hanc rem. Maximi quique & ſapientiſſimi Viri, qui unquam vixere, & nunc ſunt, intenti quidem fuere Obſervationibus, atque Experimentis; certè in quendam ulteriorem finem. Forent utique illa vana, & inutilia prorsùs, ſi non inde deducerentur quædam Conſectaria, Concluſiones, Theoriæ aut Hypotheſes. Cauto equidem opus eſt, ut talismodi Hypotheſes firmo ſtent talo, nec careant fundamento ſolido ex Obſervationibus atque Experimentis ipſis tanquam totidem cæmentitiis lapidibus conſtruendo; quo charactere ſi ornantur, maximo utique ſunt uſui atque ſervitio. Vias, verbo, ſternunt ad maximas quasvis & Utiliſſimas Veritates, quæ, abſtruſæ aliâs & profundæ, absque illis in perpetuis laterent

* Prælect. Chym.

tenebris. Horum ſubſidio multa deteguntur, &, ſi non præiviſſent, de Hypotheſibus fortè nemo cogitaſſet. Subſcribet nemo non ſanæ mentis, vel qui æquâ rem ponderat lance; tot proſtant clariſſima ubique hujus aſſerti documenta, ut probatione ulteriori haud opus ſit. Eſt certè, ſi quis alius, ipſe *D. Freind* hujus veritatis tenaciſſimus. Nunc quidem, fateor, hâc ſemitâ paulùm exceſſit, cum ſuis ſingularibus Theoriis: licèt anteà fervidè aſſeruerit [a] inſignem Theoriæ in Medicina uſum; ejusdem fabricationem Medicis Anglis validè urgens atque commendans [b]. Quamvis autem ſpernat Hypotheſes receptas hactenus, pro poſſibili tamen habet talem, quæ multiplici reſpectu accedat ad certitudinem Geometricam; [c] qualem ego quidem videre geſtio. Neque, ſi quidem in hac re præjudicare mihi licet, quempiam facilè præter illum executioni huic video aptum. Inficiari ſanè nemo poteſt, eum, qui per congrua Experimenta ſeipſum inſtruxit circa operandi methodos, & variarum rerum Medicinæ inſer-

a Emmenol. p. 186. & ſeqq.

b Ibid. in Præfat.

c Ibid. in Præf.

inſervientium genuinas proprietates, cui & Corporis Mechaniſmus, & Actionum Leges in Corpore ſano æquè ac ægro, harumque Legum in variis Morbis ac Symptomatibus deviationes probè ſunt perſpectæ: talem, inquam, Medicum præpollere longè his dotibus deſtituto, nec, niſi juxta Formularum præſcriptum, operanti. Regit ille, & quò vult ducit, malum, quo hic ducitur, vel trahitur. Prior claro undique lumine eſt circumfuſus, dum hic tenebris immerſus ſine ratione furit, & incertâ viâ ab una Formulâ Remedii pergit ad aliam, donec fortè eò pervenit rerum ſtatus, ut auxilio rationali nihil ſuperſit. Intelligit ille rerum intùs latentium curſum, ſucceſſionem, modum, tempusque congruum, atque ita ſe dirigit, ut nunquam tranſire ſinat opportunum actioni, ſolamini, & auxilio tempus; dum interim alter quicquid ſuſcipit, confusè agit, nec niſi damna parit. Si cui Hominum, Medico ſanè, ſummè neceſſaria eſt prudentiſſima circumſpectio; * neque eſt *irrationabile*

* Neque - - - dicere Conſilio Medicum non

bile Animal aptum exercendæ Arti nobiliſſimæ, cui Sanitatis cura ſuprema eſt concredita, vel gubernaculum Vitæ humanæ commiſſum. Contendebant, fateor, veteres Empirici †, nulli uſui eſſe, nec ad rem facere quidquam, inquiſitionem Actionum Naturæ, cauſarumve obſcurarum atque latentium, non intereſſe, quid Morbum faciat, ſed quid tollat. Verùm enimverò abſurdum, & rectè quidem ſtatuebant hoc cognitionem eliminandi molimen Medici Rationales; perſuaſi firmiter, *non poſſe eum ſcire, quomodo Morbos curare conveniat, qui unde hi ſint, ignoret - - - Eum verò rectè curaturum, quem prima origo Cauſæ non fefellerit. Celſ. loc. cit.* Summa proin noſtra ſit cura, comparare harum Cauſarum notitiam. * Unanimis hæc eſt Antiquitatis puræ & ſanæ vox. Neque poterat hac de re quiſ-

* Conf. § 35. infrà.

egere, & irrationabile Animal hanc Artem poſſe præſtare - - - Salutis humanæ præſidem Artem. Celſus Lib. 1.

† Obſcurarum verò Cauſam, & naturalium Actionum Quæſtionem - - - ſupervacuam eſſe contendunt. - - - - Latentium rerum conjecturas ad rem non pertinere: quia non interſit, quid Morbum faciat, ſed quid tollat. Ibid.

quiſpiam judicare meliùs *Celſo*, collectore illo diligentiſſimo,& Scriptore fideliſſimo. Inde ab illis temporibus ad noſtra uſque ad unum omnes ſentiunt idem judicioſiſſimi quivis Medici ; ejusdem omnes propoſiti tenaciſſimi.Diutiùs tantò huic materiæ ſollicitus inhæreo , quia nullus Profeſſorum Artis ſecurus eſſe poteſt unquam de ſucceſſu, niſi quatenus is cognitione nititur fundamentali. Ita hæc per ſe clara ſunt, ut inter Axiomata jure referri debeant. Hac via qui incedit, nîl prorſus moratur aliorum judicia Medicorum, qui agunt in cauſas, alterando eas, vel removendo,quarum ne minimam ante habent notitiam ; quibus neque perſpecta earum indoles, neque in Corpore ſedes. Et neminem non admiratio ſubit, poſſe his temporibus dari talismodi tenebricoſæ Praxeos Advocatos ; quive ex profeſſo Scrutatores Cauſarum morbificarum traducant. Certum hoc, quicquid dixerint & hi, eos,qui optima fide ſe applicant Studio Naturæ , & lectioni fidiſſimarum quarumcunque , earumque exactarum

rum

rum Obſervationum ante factarum, non carituros fore unquam & duce & luce, quâ perveniant ad ea, quæ quærunt. Neque induci poſſum, ut credam latere id poſſe tantæ Eruditionis virum, qualis eſt *D. Freind.* Hoc ipſum in admirationem me rapit, quòd is enuntiare non erubeſcat, *cauſas morborum nos latere, latiturasque fortè ſemper.* * Conſtare id certè nequit cum eo, quod ſcripſit ante; neque Theoria Medicinæ, quæ non ſubintrat Morborum Cauſas, de demonſtratione aut Mathematica certitudine quidpiam ſibi promittere auſit. [a] Hallucinatur autem haud leviter, quando aſſerit, *Hippocratem ne verbum quidem de morborum cauſis feciſſe.* Eò uſque quidem, ut potiùs ſagaciſſimus hic Scriptor in omnibus ferme ſuis Operibus in cauſas penitiſſimè inquiſiverit, easque exhibuerit; inprimis verò in duobus Libris ab ipſo *D. Freind* publicè luci datis; prætendens, ut ad ritè formandum judicium, & Morborum diſtinctionem, inter

a. vid. pag 41. ſuprà.

* Hippocrates - - de Morbi cauſis, quæ forraſſe nos latent, latebuntque ſemper, ne verbum quidem fecerit. D. Freind. Præf. p. 14.

inter alia inquiratur in indolem Excretorum per *Vomitum*, *Urinam*, *Alvum* [b]; obſervans in variis Febrium recenſitarum Caſibus copioſam *Bilis* & *Phlegmatis* ſeu Muci rejectionem ἄνω καὶ κάτω: quæ duo ipſa Principia alibi iteratis vicibus directè *cauſas Febrium* ſtatuminat. Dabitur ſtatim occaſio producendi loca ex illius Operibus [c]; neque heîc prætermittam ſcopo neceſſaria. Imò verò pro norma agendorum agnoſcit ille, ut primùm * *perquirantur cauſæ à quibus morbi oriuntur, dehinc procedatur ad alia, & morborum curam*, ſpeciatim eorum, qui *Loca* attinent, de quibus hîc agit; neque certè quis pleniùs, clariùs & expreſſis magis terminis ipſo noſtro Hippocrate circa hanc rem ſcribere vel loqui poteſt. Non meherclè is animi hæret, poſitivis verbis eos declarare pro *Idiotis*, † qui verarum *cauſarum* ſunt *ignari*, quibus quæque anomalia corporis ad-

b Epidem. I. Sect. 3.

c v. §. 14. infrà.

* Ὑφηγεύμενον τὰς προφάσιας, ὡς χρὴ, ἐξ' ὧν αἱ νοῦσοι γίνονται, ἐπὶ τὰ ἄλλα ἰέναι ὧδε, καὶ τὰ ἀμφὶ τὰ χρεία ἴχθαι. Hippocr. περὶ γυναικ. L. I. Sect. 3.

† Τοὺς ἰητροὺς - - - ὡς ἰδιώτας - - - τὸ μὲν αἴτιον ἀγνοεῦντας. Hippocr. περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς. § 38.

adſcribi debet. Doctrinâ hâc nîl magis Rationi eſt conſonum. Quò quis magis introſpicit Naturæ penetralia, & pleniùs eſt informatus circa Cauſas morbificas, eò ſecuriori is incedet viâ ad Morborum diſpulſionem:[a] utcunque vilipendatur regula hæcce ab iis, qui vel non conſiderant hanc Veritatem, vel neglectui habent, certum hoc eſt, & omnium Seculorum judicio comprobatum, Medicinam ſtare firmiter non poſſe absque Philoſophiæ ſubſidio[b]. Tunc demùm extitere Medici [c] inſignes, & fuit Morborum cura celebris, quum Medicinæ juncta fuere alia Literarum ſtudia. Scientia hæc Medica primùm agnita fuit pro Philoſophiæ parte; & iisdem Authoribus nata Morborum curatio, & Naturæ ſtudium. [d] Anatome exculta,

a Ὁ ἄριστος ἰατρὸς, ἄριστος Φιλόσοφος.

b Naturæ rerum contemplatio - - - Medicum aptiorem Medicinæ reddit. Celſ. in Præf.

c Nulli clari viri Medicinam exercuerunt, donec majore ſtudio Literarum diſciplinà agitari cœpit - - - Primoque medendi Scientia ſapientiæ pars habebatur; ut & morborum curatio, & rerum Naturæ contemplatio ſub eisdem auctoribus nata ſit. Ib.

d Cùm in interioribus partibus & dolores & morborum varia genera naſcantur. Neminem pu-

culta, viſcera & Inteſtina inſpecta, & maximâ quidem curâ. Ineptus prorſus judicabatur tollendis illarum partium doloribus & Morbis, quarum ſtructura & fabrica non fuit perſpecta. Eſt hæc animadverſio tantò minùs intempeſtiva, quòd laudabilia adeò & neceſſaria Studia non duntaxat ampliùs, ut quidem decet, excolantur, ſed etiam illorum Cultores deſpectui ſint aliis Idiotis: hoc ipſum, ſpero, inſerviet excuſandis, quæ diffusè hactenus propoſui in gratiam Contemplationis Naturæ, Inquiſitionis in cauſas Morborum neceſſaria, atque pro Theoriarum & Hypotheſium Rationalium uſu.

III. Inhærebo ego in Opere, quod præ manibus habeo, ſtrictiſſimè Obſervationibus, & Symptomatibus ipſis, non ſtatuminaturus quidpiam, quod non inde Conſectariorum loco deduci poſſe mihi quidem videtur. Ubi non cunque deductio hæc obvia videbitur & plana, evitare volui ni- Methodus dicendorum.

D miam

tant his adhiberi poſſe remedia, quæ ipſe ignoret. Neceſſarium ergo eſſe, incidere corpora Mortuorum, eorumque viſcera atque Inteſtina ſcrutari. Ib.

miam & tædioſam prolixitatem: poſtulo proin, ubi brevis nimis ſum, attentionem tantò majorem ad rerum nexum, & concatenatam Ratiociniorum ſeriem, quæ formare & perficere poterunt, qui judicio ſunt acri. Eſt hæc per Deductionem, & Illationem, via ſola, quæ quidem extat, ad Veritatem, & certam in præſenti materia inſtructionem. Non eſt humanum Corpus cryſtallinæ pelluciditatis, ut interiora ejus introſpicere liceat: vel, quæ ibi peraguntur, Senſibus ſubjicere, & demonſtrare. Hæc ſi ita forent, non certè poſt tot conatus atque tentamina hactenus facta immerſi adhuc eſſemus denſæ caliginis umbris. Contribuam ego ſymbolam meam pro poſſe, ut aliquod materiæ difficili accendatur lumen; id unicum præmonens, non me, quæ prolaturus ſum, examinâſſe ad Hypotheſium vel Opinionum hactenus receptarum, nimis fortè generalium, normam, ſed immediatè ad Lydium Naturæ ipſius lapidem. Hac cautione progredior, nunc ad rem ipſam, quam expediam brevi, quàm quidem potero.

IV. Ex

IV. Ex primis Symptomatibus aliqua, Nauſea, Languor, Vomendi niſus, & Vomitus ipſi, ventriculi inflatio,& tenſivi dolores,Cardialgia ſive Ardor in ejus Orificio ſuperiori, ſenſibilis ibi,& ſæpe vicinarum partium, Roſio, hoc ipſum organum pro ſede morbi tam clarè indicant,quàm quod clariſſimè. Horum Symptomatum individui comites, qui cum iisdem accedunt, & recedunt, ſunt Oſcitationes,& Pandiculationes. Nec diu poſt continuant dolor Dorſi, è regione Ventriculi, Thoracis anguſtia,Cordis oppreſſio, Præcordiorum Anxietas,& Languor. Indicio ſatis manifeſto,dependere ea, licet paulò remotiùs, ab eadem cauſa communi; ratio eadem Dolorum Capitis. Certa nimirum principia, quorum in Ventriculo exiſtentiam mox * probaturus ſum, calida,acria,corroſiva, tumultuoſo impetu Organum hocce aggrediuntur & lædunt; fumis halitibusque emiſſis calefaciunt, & arrodunt Cardialgiæ ſedem, Ventriculi ſuperius Orificium, eique,ut & contiguis partibus, ad quas uſque penetrant, incommo-

Præludia Variolarum, ſeu primum ſtadium. Symptomata. Eorundem ſedes atque Origo. conf. § 12. infra.

* conf. § 31. infra.

dum & moleſtum inferunt ſenſum; Ventriculum inflant adeò & diſtendunt, ut ſurſum trudatur Diaphragma, contrahatur Thorax, in anguſtias cogatur Cor cum Pulmonibus, retrò ad dorſum pellatur Ventriculus, ſimulque prematur Aortæ deſcendens Truncus, eum in modum, ut eâ anguſtatâ impediatur haud parùm Sanguinis ad inferiora fluxus. Ita fit, ut major Sanguinis quantitas ſurſum mittatur ad Caput & Cerebrum, quod inundatum veluti & preſſum novam patitur inde ortorum Symptomatum ſyndromen, e. g. gravitatem & pondus Capitis, cum ſenſu novi cujusdam & præter morem copioſi Fluidi ibi transfluentis; Vaſorum ſanguineorum Tenſionem, Capitis dolorem; Stuporem: Vertiginem: inſultus Epilepticos, ſpeciatim in Infantibus & junioribus, inprimis tenerioris texturæ. Reliqua Symptomata ſunt, Sitis, Æſtus, Febris, Rigor, Horror, Sudor; ejusdem omnia ſpeciei & originis; quæ eadem eſt, mox allegata, calida, acris, penetrans, activa, violento motu agitata cauſa. Hæc dum in Ventriculo

triculo eſt, cauſatur Sitim. Hinc ſenſim ad Sanguinem tranſiens, & in Corporis habitum effuſa, ibidem excitat Æſtum, Febrim, aliáque modò recenſita Symptomata. Conſtituunt hæc, & præcedentia, primum morbi Apparatum, ſeu, primum decurrunt Stadium. Ubi tamen notandum, rarò omnibus & ſingulis idem affici ſubjectum. In majori adſunt minorive numero, pro varia morbidorum Principiorum in motum actorum quantitate. Qua de re evidentiùs & ſpecialiùs ſuo acturus ſum loco.

V. Expoſitis ita Symptomatibus progrediendum foret ad Remedia. Ante autem quàm huc pergam, ſtabilienda venit neceſſaria Medico cautio, obſervanda ei in caſu adeò delicato, & tumultuoſo, ad præcipitia declivi. Omnis ei & prima impendenda cura, ut excitetur Phantaſia, dirigantur ritè Paſſiones Animi, & ſpe continuâ erigatur æger. Verſatur in hoc maximum Artis momentum, neceſſarium adeò, ut hoc neglecto optima quæque Remedia, ſummo licet ſtudio excogitata, in Variolis aliisve

De Regimine Paſſionum Animi in Morbis.

Morbis magnis, acutis generatim ſint fruſtranea. Non latet eos ratio, quibus Textura & Actio Corporis probè eſt perſpecta, & conſtat, Ventriculum non duntaxat eſſe Principiorum Variolas conſtituentium, & excitantium Fontem [a], ſed & Paſſionum ſedem [b]; quarum intempeſtiva commotio quælibet turbat neceſſariò Oeconomiam, & regulatum Principiorum motum: à qua Oeconomia, & ordinatione ipſe Morbi eventus dependet. Chordam hanc tango tantò magis, quòd perſuaſiſſimus ſim, multò plures vitâ excedere anomaliis inductis ex Terrore, Metu, impreſſione, quam cauſatur vel conſpectus, vel relatio imprudens Amicorum aut adſtantium, quàm ipsâ Morbi malignitate. Certum eſt ex conſideratione diverſorum Phœnomenon Metum concomitantium, claudi ordinariè Pylorum & ſic pro tempore communicationis viam Ventriculum inter & Sanguinem intercipi. Quandoquidem verò Ventriculus Fons eſt materiæ varioloſæ, latere nequit ratio, quanto & quam ſubitaneo ſit Variolis

a. conf. §. 15. infra.
b. conf. §. 4. ſupra.

lis præjdicio hic,de quo nunc, Animi Affectus, & quàm ſæpe pernicioſus, atque fatalis.

De Diæta, & Potu in Variolis: item de Cordialibus.

VI. Quæ nunc ſequuntur, Diætam concernunt obſervandam in Variolis. Exquiſitè hæc debet eſſe temperata, nec calefaciens, neque refrigerans. Neque admittendum quidpiam, quod non ſit εὔπεπτον, tenue, leve: ut pulmenta & hujusmodi alia. Nîl quod ſit δύσπεπτον, grave, Stomacho moleſtum. Quare & exhibenda quæcunque in parva quantitate, ex rationibus mox producendis. Potus ſit pariter ſimplex, temperatus, nec calidus nimis, nec frigidus. Cordialia generoſa, ſapidæ nimis Aquæ compoſitæ, & Spiritus, nunquam exhiberi debent largâ doſi, vel non, niſi extremâ cautione adhibitâ. Nec excludi ab hac regula debet ipſe Debilitatis caſus, qui ſecuriùs longè tractari poteſt aliis; Eſt, quicquid conferunt hujusmodi generoſa, deſultorium, tranſitorium, & dilatorium. Certum autem eſt, ea accendere, & augere Febrim, quæ extimeſcenda longè magis Debilitate. Pariter non conveniunt

 juxta

juxta Cereviſiam Liquores alii fermentati ; rebus in Ventriculo aliâs nimiùm fermentantibus , & inter ſe colluctantibus. Neque exhibenda Cornu Cervini decocta, aliave hujus generis Liquida , niſi in moderata quantitate ; utpote quibus Principia in Ventriculo exiſtentia morbifica nimiùm ſubiguntur , diluuntur , attenuantur, in ſanguinem egurgitant ; & æſtus febriles , intentioni Naturæ & elevationi Puſtularum neceſſarij, ſupprimuntur & extinguuntur, ſicque integrum Corpus periculo evidenti exponitur. Omne Medici in hoc Morbo ſtudium in eo poſitum eſto, ut ritè dirigatur Febris, neque excitetur nimiùm, nec nimis deprimatur ; neque principia morbida preſſiùs urgeantur in Sanguinem, quàm quidem Vaſa organica ferre * & Puſtulas diſpellere poſſint.

* conf. §. 15. infrà.

De Medicamentis.

VII. Medicamenta quod attinet, incumbendum in id eſt ante omnia, ut, quantum fieri poteſt, ſint grata, & palato accepta : magnum meherclè in hoc, & quibusvis aliis Morbis, ſi juſta Remediorum directio coincidat cum Appe-

Appetitu, & ipſo Stomachi deſiderio. Eſt hæc ipſa vox Naturæ, cui obtemperare debet & ſtudiosè adaptari Medicina pariter Curativa, ac Diætetica: juxta cum attenta obſervatione, quomodo hæc illave ſuccedat, & quam res poſthac induturæ ſint faciem. Nec procedere ritè poteſt Digeſtio, nec Nutritio, niſi Ventriculi habeatur ratio. Præterea ab hoc Organo procedunt & hujus, & plurium aliorum Morborum principia. Quæ grata ſunt, certò ſymbolam ſuam conferunt ad compeſcendos illos motus, ſicuti ingrata ad excitandos, & augendos. Neque, fateor, mirari ſatis, poſſum tantam Aquarum, tam Simplicium, quàm Compoſitarum, aliarúmque rerum quantitatem exhiberi ſolitam in Julapiorum, Apozematum, aliave forma, non ingrata ſolùm, ſed offenſiva, ſæpeque faſtidioſa, etiam ſanis, & robuſtioribus Stomachis. Qui rem æquâ animi lance perpendit, ei abſona videbitur Sanitatis amiſſæ recuperatio per talia, quæ etiam Hominem ſanum in morbidum Statum deturbare valent. Magni mehercle momenti res eſt attentio ad hujuſmodi Obſerva-

ſervationes. Proximæ nunc conſiderationi ſubſunt Remediorum numerus,& quantitas. Negotium nunquam non faceſſunt & nimiæ , & exiguæ nimis doſes qualiumcunque Medicamentorum,& quàm ſpecioſo Cordialium, Bezoarticorum, Alexipharmacorum , ſimiliumve cunque veniant titulo. Sunt ea omnia peregrina,Organis & Viribus Corporis incongrua. Sunt Ventriculi principia,durantibus Variolis, in vehementi motu & conturbatione. Vana res eorum totalis Compeſcentia, ſive ſuppreſſio,& quæ effectui dari nequit ; imò , ſi poſſet, præjudicio foret Ventriculo , & Digeſtioni, per conſequens & toti Corpori , atque orientur mala numero plura , quàm quidem heîc recenſeri poſſunt. Inde principia mota tranſeunt in Sanguinem. Quibus delicata Corporis Humani Textura, & tenerrima Mechaniſmi ratio eſt perſpecta, illi parùm admodùm exhibebunt remediorum eo temporis intervallo,quo principia Varioloſa ex Stomacho tranſeunt in Sanguinem , & per totum Corporis habitum diffunduntur,

duntur, quicquid ogganniant alii, & quo ſpecioſo cunque titulo Medicamenta ſua obtrudant. Non poteſt non eſſe noxium, quod preſſam gravi onere Naturam onerat magis, & in ſpeciali defæcatione ſudantem, interrumpit ac turbat. Pernicioſa admodùm hoc tempore ſunt, quæ alio innocua. Tempeſtivum & præclarum eſt Hippocratis * monitum, quo Medicum in Febribus vult locatum veluti in Specula, & omnem impendere operam, ut benè agat, nec ſiniſtrâ adminiſtratione ægro inferat damnum: quandoquidem mala Morbum comitantia, quibus cum conflictandum ipſi eſt, gravia ſatis ſint per ſe. Securius longè eſt, expectare, obſervare, & à Remediis abſtinere prorſus, quàm audere, quod nocere poteſt. Optandum foret, ut non ingenti Remediorum temerè turbantium numero, ad placendum vel fallendum, imò & fines turpiores adhuc, exhiberi ſolito major Generi Humano inferretur ſtrages, quàm per Morbos ipſos. Vulgi ipſius, ſed & peritiorum Medicorum eſt obſervatio, Variolis, ordinariè

* περὶ παθῶν Sect. 12.

riè præ aliis evadere, qui minimùm aſſumunt Remediorum: & raró Morbum ſuperare, qui auxiliorum mole vel numero obruuntur. Nemini, opinor, hæc mea cogitata venient inectivæ contra Artem Medicam titulo; hac non magis carere poſſumus, quàm in ullo alio Morbo. In tam difficili & intricato negotio non opus duntaxat eſt prudenti directione, & attentione maximâ; ſed ſummâ arte & ſagacitate; quam quidem Sponte offerunt & prætendunt audaces ardeliones quivis, tam numeroſi, quàm ſunt *μύρμηκες ἀναρίθμητοι*.

De Abſorbentibus. conf. §. 58. infra. De Medicamentis Diaphoreticis & Alexipharmacis.

VIII. In moderatis doſibus, ubi id neceſſe ducitur, exhiberi poſſunt Margaritæ, aliive pulveres Teſtacei dicti, Cornu Cervi calcinatum, Corallia præparata, & Abſorbentia reliqua, utpote quæ aliquid conferre poſſunt ad reprimendam exorbitantem principiorum varioloſorum in Ventriculo commotionem. In minoribus doſibus Pulvis Vaſconius, Goenſis Lapis non perfumatus, Bezoar Orientale, vel Contrayerva Lapis. Major nimis exhibita doſis motus illos ſupprimit

primit nimiùm quàm par eſt, & Ventriculi contenta ita vel involvit, vel ſupplantat,& reſtringit, ut fruſtretur Naturæ illa in Sanguinem translaturæ intentio. Contrarii prorſus effectus ſunt Serpentaria Virginiana, Sal Cornu Cervi volatile, Viperarum, & quæ hujusmodi calidorum medicamentorum ſunt alia. Aſſociant ſeſe calidis Ventriculi contentis *,horum exturbationem promovent, & eâ aliquando copiâ in Sanguinem pellunt, ut,Bile † fortè exundante, violenter accendatur Febris ; in aliis verò Corporibus, Phlegmaticis, eò uſque conglutinentur tubuli ſubtiliſſimi,vel extremi Habitus vaſa, ut tranſitum denegent materiæ peccanti ad Puſtulas, hæ defectu novæ materiæ concidant, & materia morbifica intus conſtricta interna Viſcera horumque ſtructuram peſſum det. Febre diminutâ, vel ſuppreſsâ nimis, exiguæ talium Remediorum doſes, ſed ſummâ cautelâ adhibitâ, præſcribi poſſunt.

* conf. §. 13. infra.

† conf. §. 13. infra.

IX. Camphora corpus eſt, cujus Natura, proprietates, & vires nondum hactenus plenè ſunt perſpectæ;

De Camphora.

tæ; activum, volatile, ſubtile, penetrans, ultra modum. Qui probè attenderunt ad Phœnomena, ejusque conſtitutionem, iis non poteſt non eſſe ſuſpecta. Quicquid contra dicant duo treſve Scriptores Syſtematici, qui cuicunque obvio Simplici aſcribere ſolent panchreſtas vires, licet experimenta ſtudio inſtituta uſum prorſus diſſuadeant.

De Acidis, & Refrigerantibus Medicamentis.

X. *D. Sydenhamius* calidæ Methodi incommoda & damna obſervans elegit præproperè alterum Refrigerantium extremum. Nec huic, nec illi, manum dant Ratio & Natura. Qui his incedit ducibus Medicus, id omni curá quærit, invenitque temperamentum, quod & rei neceſſitati, & Temporis conditioni, & Ægri ſtatui exactè reſpondet. Mirum autem videbitur nemini, tantæ diligentiæ, & tam exquiſiti judicii virum, qualis quidem fuit *Sydenhamius*, temporis progreſſu, & poſt plura Experimenta, ipſam quoque frigidam methodum, ut ante calidam, rejeciſſe, tandemque ſubſtitiſſe in temperata, exhibendo Acida, Cereviſiam tenuem, Refrigerantia

rantia alia, ſed manu ſuſpenſa, in ultimis Praxeos ſuæ diebus. Certum me hac de re fecit Dⁿ. *Malthus*, Medici hujus inſignis Pharmacopœus, & intimæ admiſſionis amicus. Pronior tantò ſum ad hocce Monitum, quoniam multi, ad Authoritatem magis, quàm Naturam & Experientiam attendentes, circa hanç Variolarum medelam, in haud leves incidêre errores ex Scriptis *D. Sydenhamij*, cæterùm laude digniſſimis. Admitti nullâ ratione poſſunt in Praxi Rationali Tartarus Vitriolatus, Vitrioli Spiritus, Limoniorum Succus, & hujus generis Acida alia; turbas nunquam non cauſatura. Suffocant hæc initio vehementer, & nimiùm ſupprimunt Febrim, ſed eandem poſtmodùm tantò magis accendunt. Accedunt, ſi non fermè coincidunt, proximè ad naturam Salis, peccantis in hoc Morbo principii, quod ſuo loco reddam teſtatum. * Sunt hæc in ſerie Medica- *§. 40. infra.
mentorum corpori incongrua, Naturæ quàm maximè adverſa, præ omnibus aliis Alterantibus; id quod opportuniori loco & tempore, ſpero,

Exem-

Exemplis illuſtrabo. De Puſtulis, & Hæmorrhagia ſuis quoque acturus locis *.

* §. 29. 30. 31. infra. De Oleis, & Medicamentis pinguibus. conf. §. 69. infra.

XI. Poſtquam non plenè fecerunt ſatis nec rationes pro Medicamentis variis in hoc, aliisve morbis, uſualibus, nec eorundem in experiundo ſucceſſus, cogitare cœpi de aliis, quæ quidem Naturæ neceſſitati reſpondere meliùs poſſint; incidive Ratione duce in dulcia Vegetabilium Olea e.g. Amygdalarum, ſimiliaque, facturus tentamina, ponderatâ prius eorum conſtitutione, quæ inprimis mihi videtur è diametro còntraria acri illi, calidæ, corroſivæ, bilioſæ materiæ, de qua demonſtrabitur mox †, eſſe palmariam non ſolùm periculoſi hujus Morbi, ſed plurium aliarum Ægritudinum & malorum cauſam. Conſideravi, iis, qui pura aſſumere renuunt, admixtis mucilaginoſis, pulpis & Conſervis, reddi poſſe grata admodùm; eſſe per ſe innocentiſſima, & nutritiva, neque vel minimo ſubeſſe diſcrimini eorum uſum. Spei conceptæ reſpondebat Eventus. Docuit me mox Experientia, conferre multùm

† §. 13. infra.

ad

ad fruſtrandam & ſubducendam materiam illam acrem calidam, per conſequens & ad reſtringendam Febrim, aliaque Symptomata ab acrimonia illa induci ſolita. In tantum quidem, ut eorum uſu citiùs, faciliùs & feliciùs temperetur Febris ad altiſſimum evecta gradum, quàm quidem ullis aliis Remediis hactenus mihi cognitis. Vidi id in Dn. *Sidleij*, aliisve Caſibus, quos pro deſperatis aſpexêre Judices omni exceptione majores. Hæc certè Olea parva quantitate, & certis intervallis exhibita, reprimunt valde tumultus, & temperant Bilioſorum Salium acrimoniam per integrum Morbi decurſum; mitigant proinde dolores *; pariter & Exulcerationem, atque Inflammationem Cutis & Superficiei. Ægro ſic ad Quietem redacto, & Impedimentis Somni facili ratione ſublatis, Opiatorum raró ſumus indigi, quæ mihi, fateor, haud diſplicent, licet paucos admodùm inve-

E niam

* Sic quoque ordinariè magnum & ſubitaneum afferunt olea ſolamen Anginoſis, Pleuriticis, Colicis, Dyſentericis & Nephriticis, quorum Febres, Dolores & Inflammationes Originem huic ipſi Bilioſæ materiæ debent.

niam eorum defenſores: neque eorum magnus ſit uſus in Praxi judicioſâ & ritè ordinata qualibet, qua res agendæ ratione & tempore menſurantur.

De Vomitoriis, eorum ſalutaribus effectibus, & ſequelis. conf. §. 50. infra.

XII. Quòd ſi in Variolis Medico contingat eſſe adeò felici, ut conſulatur in principio, maturè ſatis pro exequendo propoſito, & opportunam nactus occaſionem non ſuperſedendi duntaxat Opiatis, ſed & multis aliis, ſi non omnibus, recenſitis ſuprà medicamentis, omnique antifebrilium, quæ hoc nomine cluent, catervâ; reddendo hæc ipſa magnâ ex parte non neceſſaria, ejectione ſolâ materiæ morbificæ ex Stomacho, Sanitatem ſalvabit & vitam ægri. Qui præterlabi ſinunt occaſionem hanc, errore non excuſando Vitam extremo exponunt diſcrimini, & aleæ periculi difficultatumque plenæ. Sunt, ut reliqua Symptomata prætercam, Nauſea, faſtidioſus Languor, & Vomendi niſus, indicantia Vomitorium plusquam ſuffena. Stomachus ſi ritè ſit præparatus, ejus Inflatio diminuta, ut liberiùs tantò ſeſe contrahere, & conten-

ta

ta ſua expellere poſſit, operatio ipſa dextrè inſtituta,& clanculum,ut fieri poteſt, effectui data, ægrum videbimus illico ſublevatum, & ceſſare Symptomata Stomachi affecti recenſita. Eidem fato ordinariè ſubjacent Symptomata Thoracis, Dorſi & Capitis, ſtatim ac Operatio eſt peracta; remittuntur ſaltem & deprimuntur valdè. Notabiliter item minuitur Sitis, Febris, aliaque hujus ordinis Symptomata. Vel ex ſola hac Conſideratione, ſi alio omni careremus lumine, evidentiſſimè patet, omnium horum Symptomatum Principia & cauſas, tum quæ alias partes,tum quæ Stomachum infeſtant,actu reſidere in ipſo hoc Viſcere: exiguâ duntaxat portione exceptâ, quæ ante jam in Sanguinem tranſmiſſa Febrem ibi, aliave Habitus extremi Accidentia infert. Quæ proin & ipſa diminui neceſſe eſt, fonte primo per Vomitum evacuato, ſicque materiæ novæ ad Sanguinem fluxu intercepto. Sunt Symptomata, numero vel pauciora, vel plura, magis minusve intenſa & urgentia, pro majori ſemper minori-

 ve

ve materiæ morbificæ in Stomacho tumentis quantitate. Diminuuntur Symptomata pro ratione Vomitus ſuccedentis,& quantitate materiæ extruſæ, & ſimul inquietudines atque pericula per integrum Morbi decurſum. Verùm enimverò non eſt res adeò prona & facilis, unâ Stomachum liberare & evacuare operatione, ut quidem videri poſſet inexpertis. * Extremâ circumſpectione heîc eſt opus; difficultates & Symptomata potiùs auget, quàm diminuit, magis intricat, quàm extricat, frivola & temeraria negotii hujus directio. Quum è contra prudenti & circumſpecto procedendi modo negotii palmaria pars peragi poſſit ſimul & ſemel; æger contra omnes graviores futuros inſultus in tuto collocari; magna parte principiorum, quæ ſecundam efficiunt Febrim, & periculoſa ut plurimùm Symptomata eam Comitantia, Inflammationem & Dolores cauſantur, urunt, rodunt, Convulſiones excitant, Cutim & Faciem deformant, Puſtulas confluentes reddunt, habitum corporis corrugant, vitamque ipſam

* conf. §. 16. infrà.

ipſam in diſcrimen conjiciunt, hac ratione exturbatâ. Ut poſthac paucis admodùm remediis opus ſit, & totum negotium ferè perfici poſſit prudenti Calidi, Frigidi, Diætæ, & ſimilium rerum directione. Imò verò, ſi pauca adſit materiæ vitioſæ in Stomacho quantitas, eaque non tumultuoſa nimis & tumida, ſi non integra, magna ſaltem illius pars Vomitu tempeſtivè & dextrè proritato evacuatur ita, ut illicò ceſſet Febris; Puſtulæ fortè erumpentes mox atque ad ἀκμὴν pervenerint, diſpareant, ſupplemento per Vomitum intercepto; atque æger ad priſtinum Sanitatis ſtatum redeat. Haud carent, quæ profero, ſuo fundamento: Plura uno vidi tam boni ſucceſſus Exempla. Adducam Dominæ Annæ Grey caſum notabilem. Præmiſſis ordinariis Stomachi, Dorſi, & Capitis, primi nempe Apparatus, Symptomatibus, comparuêre manè quartæ ab invaſione diei in Facie, Pectore & Brachiis tubercula. Vocatus ejuſdem diei veſperâ vidi prorupiſſe magis, & denſo ſatis agmine cutim obſediſſe. Præſentes ad-

erant diverſi in hoc Morbo expertiſſimi Judices. Examinato caſu, & inſpectis tuberculis judicârunt omnes, adeſſe Variolas: teſtes inſuper aderant Febris, & concurrentia alia Symptomata. Habuit Vomitorium eadem veſperâ exhibitum plenum adeò & exoptatum ſucceſſum, ut multâ materiâ rejectâ poſtero die & diſparuerint tubercula, & cuncta evanuerint Symptomata; Stetque, quæ ægra tunc fuit, benè inde ad hunc diem, per 16. menſium decurſum. Binos autem vidi caſus, quibus diſparentes ab Emetici exhibitione variolæ, paucis poſt diebus recurrebant, novo in Stomacho excitato tumultu; more ſolito ſtadium ſuum decurrentes. Quæ in hac Sectione doceo, illuſtrari porrò & confirmari poſſunt Obſervatione, quam plus ſemel faciundi occaſio mihi fuit nata, Variolarum accidentaliter erumpentium, nunc ſtatim, nunc aliquandiu poſt Chronicorum morborum curam. Fuere quippe hæ poſt magnas & neceſſarias Evacuationes, adeò benignæ, & periculo vacuæ, ut non majus fuerit ægrorum

diſcri-

diſcrimen, quàm dum in perfecto fuerunt Sanitatis ſtatu. Paucæ in omnibus & mites. Ita D^n^. *Mauſon* non fuere ultra 30. per integrum corpus. Neque vel minimum poſt ſe in Cute reliquere veſtigium, D^n^. *Glenorchy* habuit paucas admodùm; neque Cuti ullus manſit nævus. Licet prior decubuerit A. 1710. poſterior A. 1713. Annis epidemicè & fataliter varioloſis. Quinimò ipſa ordinaria periodus morbi fuit mutata & tempus decurtatum. In hiſce binis namque, & aliis quibusvis abs me viſis caſibus, quibus Variolarum acceſſum præceſſère talismodi magnæ Evacuationes, ad ἀκμὴν pervenêre, & declinare cœpere die 6. vel 7. ab eruptione, uno namque vel duobus diebus citius, quàm in Variolis etiam benigniſſimis.

XIII. Dant nobis rejectanea per Vomitum, indubia Symptomatum in Variolis cauſa, opportunam in eorum naturam & indolem inquirendi, & examen inſtituendi, occaſionem. Videntur autem illa duorum generum: unum eſt putridum Phlegma, alterum — *Materiæ, quæ cauſa Variolarum, & Symptomatum concomitantium, conſtitutio.*

materia Biliofa, dulcis, vel Salina, vel Acida, vel Amara, vel ex omnibus mixta. Stupefiunt inde Dentes. Imò verò communiter eſt acris adeò & corroſiva, ut excorietur ferè & auferatur membrana Os & Fauces ſuccingens; fumans & ſæpe fervidè exhalans. Non omnes quidem Varioloſi Principia hæc in tanto recondunt exceſſu: neque perfunctoria quævis tractatio producit ea & detegit. Sed ſi operatio dextrè inſtituta ſuccedat ritè, nemo non ea, & copioſa quidem, oculis ſuis ſubjicere poteſt, communiter namque.

Hippocratis doctrina de Febribus huic noſtræ conformis.

XIV. Edidit nunc *D. Freind* binos præcellentes *Hippocratis* Libros, magnique eum, ut quidem par eſt, extollit. Vix ſanè vidit Seculum tanti Ingenii, tanti judicii, tantæ capacitatis Medicum. Non minorem merentur laudem ejus bona indoles, Humanitas, Virtutes, quas poſſedit, aliæ. Tanta inſuper ſummi Viri in obſervando diligentia, tamque accurata, ut non exiguo mihi gaudio ſit ſuarum cogitationum conformitas cum meis, quas Naturæ contemplatio ſola mihi ſug-

ſuggeſſit. Ubi ex profeſſo agit de *Morbis*, pro regula appoſuit conſtanti, *Morbos quoscunque*, *ex Principiis Corpori internis oriri ſolitos*, *Originem ſuam debere Bili & Phlegmati.* [a] Binas haſce omnium Morborum cauſas proponit iterum aliâ occaſione. [b] Aſſerit, nec ſine cauſa, Corpori connaſci *Bilem* & *Phlegma*; exiſtere in eo poſteà in majori minorive quantitate: [c] *ſuſtentari* & *augeri* à *cibo potuve* aſſumtis. [d] Principia hæcce ſicuti omni Homini viventi inſunt, ita, ſi ritè ſint conſtituta, & in decenti quantitate, ſuos habent inſignes uſus, ſua præſtant officia Corpori; ſed & ſua inferunt damna, morbosque, ſi vel quantitate peccent, vel qualitate. Copiam nimiam, Intemperantiæ adſcribit [1], & rectè. Primam Bilis originem,

a. Αἱ μὲν ὦν νοῦσοι γίνονται ἅπασαι, τῶν μὲν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων, ἀπό τε χολῆς καὶ Φλέγματος. Hippocr. περὶ νούσων I. 2.

b. Νοσήματα τοῖσιν ἀνθρώποισι γίνεται ἅπαντα ἀπὸ χολῆς καὶ Φλέγματος. περὶ παθ. Sect. I.

c. περὶ Νούσων. I. 2.

d. Ἡ χολὴ καὶ τὸ Φλέγμα ἀπὸ σιτίων καὶ ποτῶν τρέφεται καὶ αὔξεται. περὶ Νούσ. I. 22. Conf. I. 2. & IV. 3. & 8. & περὶ παθῶν. Sect. I.

1. Ἀφορισμ. 17. L. 2.

quia ab alimento eſt, Stomachus juſto ſibi arrogat titulo; & *Hippocrates* ipſe videtur primariam ibi quærere Scaturiginem.[2] Iterum ſaltem ac iterum[3] Bilem ſiſtit ut Stomacho inexiſtentem; & videtur ipſi *Bilis ſtomachica* & *veſicularia* ejusdem prorſus indolis, quod indifferenter & promiſcuè eam tractet.[4] Id quod de Morbis aſſerit in genere, alibi ſpeciatim applicat *Febri*; expreſſis verbis declarans, oriri eam ex *Bile & Phlegmate* in *caput* delatis, totúmque *calefacientibus corpus.*[5] Alibi, & optimè quidem, Bilem ſiſtit ut Agens principale, quod in motum excitatum, & in Sanguinem transmiſſum, Corpus calefaciat, Febrémque accendat.[6] Superſedeo tranſcribere hunc, & alia quædam loca, quòd nimis ſint prolixa. Deſcendit quinimò ad *Febres particulares*, *Bili* & harum productionem tri-

2 πηγὴ. περὶ Νούσων. IV. 1, 2. conf. L. I. 27.

3. περὶ Νούσων. I. 27. & IV. 8.

4. περὶ Νούσων. I. 27.

5. πυρετὸς δὲ ἀπὸ τῶνδε γίγνεται. Ὁκόταν χολὴ ἢ φλέγμα θερμανθῇ, θερμαίνεται (καὶ) τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα. καὶ καλέεται τοῦτο πυρετός. περὶ Νούσων. I. 22.

6. περὶ Νούσων. I. 27.

tribuens: quales ſunt *Febris Cauſus* [1], *Leipyriæ* [2], *Febris continens, quotidiana, Tertiana*, & *Quartana acutæ* [3]. Idem fert judicium de *Symptomatibus* Febres comitantibus: Rigorem [4] adſcribendo *Bili* & *Phlegmati*, huic inprimis, ad Sanguinem delatis: *Phrenitidem Bili* [5]: *Cardiogmon* [6], ſubinde comitem, pariter *Bili*: *Ardorem Urinæ*, ubi de Calculo agit, Bilioſæ materiæ [7]: Imò & criſin ſalutarem, quâ Febres ordinariè decedunt, urinâ craſſâ & turbidâ, *Bili* & *Phlegmati* ex Sanguine ad *Veſicam* deturbatis [8]. Rationi ſanè nil eſt magis conſonum, quàm ut hiſce Principiis Febrem, dum Sanguini inexiſtunt, cauſantibus, nunc unà cùm Urinâ ejectis conſequi debeat Febris declinatio, & finalis ceſſatio. Eſt hæc argumentandi ratio

1. περὶ παθ. XI. & περὶ Διαιτ. ὀξ. 34.
2. Κωακ. 1.
3. περὶ Φύσ. ἀνθρ. 27. & ſeqq.
4. περὶ Νόσ. L. I. 22. conf. ἐπιδημ. IV. 8.
5. περὶ παθ. X. περὶ Νόσων I. 28.
6. Καρδιωγμὸς. περὶ Νόσ. IV. 13.
7. περὶ Α'έρων. 22. 23. 24.
8. Ο'κόσοισι δὲ ἐς τὴν κύστιν συῤῥεῖ τι χολῆς, οὐρέουσι παχύ. παχὺ δὲ ὑπὸ Φλέγματος. περὶ Νόσων. I. 27. conf. IV. 8.

ratio Hippocratica clariſſima pariter & ſolidiſſimo fundamento, Naturæ, obſervationum, & Experientiæ nixa. Hoc ſi careret, Authoritas foret nulla: Natura quippe, ubi rationes ſunt obſcuræ, vel nullæ, unica eſt Judicii norma. Ita quando loquitur de *Sanguine*, *Aqua* [1] vel *Sero*, tanquam cauſis in Morborum productione concurrentibus, certum eſt, illum non intelligere niſi Bilem depravatam, & Phlegma putridum craſſum, Sanguini illatum, eidem immixtum. Ita, ut alia hujus generis exempla taceam, apparet ex eo, quod diſſerit de *Capite* tanquam *Fonte Phlegmatis*, & *Liene* origine *Seri* [2], eum haud diſſecuiſſe, vel inſpexiſſe Corporis interanea eâdem nempe ἀκριβείᾳ, quâ formavit ſua Conſectaria.

Stadium ſecundum, ſive Variolarum Eruptio.

XV. In re tantæ ſubtilitatis, extenſionis & Momenti, qualis hæc eſt, difficile eſt, certis includi limitibus. Transgreſſus ſum jam, fateor, quos mihi ipſe præfixi. Hoc tamen inde redundat utilitatis, ut ex iis, quæ porrò dictu-

1. περὶ Νούσων IV. 1. & alibi.
2. περὶ Νούσων IV. 2.

dicturus ſum, mihique liceat eſſe breviori in proſecutione Stadii ſequentis Varioloſi. In ſecundo hocce Eruptionis mutatur Scena tranſiens ex Stomacho in Sanguinem,& Corporis Habitum ; transeuntibus continuò Bile & putrido Phlegmate, ex Organo hocce in Maſſam Sanguinis. Hac ratione Motus & Colluctationes,quæ fiebant in Stomacho, permutantur in Perturbationes & Anomalias Oeconomiæ totius; Nauſea, Ructus & Vomitus in Dolores moleſtos totiusCorporis : Stomachi calor, Cardialgia, ſive ſuperioris orificii ardor ex aſcenſu fervidorum halituum orta, in æſtum Febrilem Sanguinis , & totius Corporis: Stomachi corroſio in Corroſivam Inflammationem Cutis & Superficiei. Pútridum quippe Phlegma in Sanguinem,& hinc ad Habitum extimum propulſum excitat hîc Tubercula,quæ ſenſim mole aucta & impleta tranſeunt in Puſtulas. Et increſcunt quidem Symptomata Sanguinis & Habitus, eadem, quâ Stomachi Accidentia decreſcunt, proportione; tandemque hæc communiter evaneſcunt

pror-

prorſus, ſi Morbus ſit benignus, & quantitas vitioſorum in Stomacho principiorum moderata. Abeunt ſimul Symptomata Dorſi, Thoracis, & Capitis, Stomachiçorum comites. Argumento invicto, eſſe omnia ejusdem & unius Catenæ annulos, orta ex eadem eorundem principiorum in Stomacho exiſtentium ſcaturigine & actione. Eſt eadem ſemper Natura, expedita, ſimplex, & recta in omnibus ſuis Stadiis; actio ejus regularis, & verè Geometrica. Quibus ſtructura & mechaniſmus Corporis probè eſt perſpectus, ii inſequuntur omni ſtudio ejus veſtigia, introſpiciunt motus, & dirigunt absque difficultate. Illis interim, qui Artem non probè callent, Formulis ſuis inequitantibus; aliis Nubem pro Junone, inania Schemata & Notiones, ex Libris vel Imaginatione hauſta, pro vera & accurata, Legibus Oeconomiæ Animalis fundatâ amplexantibus, perpetuis Phantaſiæ nebulis irretitis. Quòd ſi Κακῇ τύχῃ Cauſæ in Stomacho morbificæ adeò exceſſerint mole, ut præter quantitatem hinc Sanguini illatam,

tam,maneat nihilominus principium Varioloſum in primo hoc fonte, tanta namque ejus portio, quæ motus ibi & conflictus inordinatos fovere & continuare valet, concipi facilè poteſt, continuari quoque debere Symptomata Stomachi & Partium ex conſenſu affectarum.

XVI. Versùs finem ſecundi, vel initium tertii Stadii ſeu Maturationis exaſperantur ordinariè Fauces & Guttur; deglutitio fit difficilis; fluit Saliva Intumeſcunt Palpebræ, Facies, & Caput & Manus. Puſtulæ ſenſim elevatæ rumpuntur, tandemque profundunt materiam pituitoſam, purulentam, flavicantem; bilis Phlegmaticæ progeniem: quò citiùs autem apparet flavedo, vi rumpuntur, fluuntque citiùs, bilioſis Salibus viam ſibi per Cutem puſtuloſam parantibus faciliorem. Eſt Ventriculi fundus etiam in ſtatu ſaniſſimo inferior longè Pyloro, ſeu exitu in Inteſtina; inferior adhuc, ſi Stomachus ſit vel ſtrictus, vel relaxatus. Hinc eſt, quòd rarò, vel nunquam, evacuetur prorſus. Eſt hæc Naturæ ſapiens ordinatio, eum ſpecia-

Stadium tertium, ſive Maturatio.

ſpeciatim in finem,ut alios uſus præteream, ut commodum ſit Alimenti, & Bilioſorum Salium reſervatorium, ut horum ope maximum, & Vitæ adeò neceſſarium,opus,Digeſtio,tantò feliciùs & certiùs peragi poſſit. Hoc eodem hujus Organi Mechaniſmo retinetur, ſi quæ fortè ibi hæret, materia vitioſa. Neque derivatur in caſu præſenti ordinariè tantum materiæ, ut non ad agendum ſufficiens remaneat portio. Huic ſanè debetur continuata adhuc Stomachi inflatio ac tenſio, quâ ipſa Aorta deſcendens preſſa * occaſionem præbet Sanguini in majori quantitate ſurſum ad Brachia, Fauces, Caput & Faciem lati. Sanguis ipſe autem cùm Phlegmate ſit valde ſaturatus hoc ipſum trudit atque deponit ad partium recenſitarum vaſa extrema, quæ hinc tumeſcunt, inflammantur, & exulcerantur, pro varia Bilioſorum Salium Sanguini intermixtorum portione; tenuiori interim Phlegmatis parte, ad Fauces aliasve partes glanduloſas delatâ,effluente per has ipſas Glandulas; unde Salivatio. Id omne, quod hac via deri-

* conf. §. 4 ſupra.

derivatur è Sanguine pro lucro eſt reputandum; in quantum enim cunque ita effluit, in tantum liberantur ab injuriis & oppreſſione Viſcera. Ex hac conſideratione Salivatio habenda eſt pro bono Signo, imò verò promovenda, uſque dum ceſſaverint Symptomata, & Vita ſit in ſalvo.

XVII. In Declinatione, ſive quarto Stadio, ſi Symptomata inde pendentia regulari ordine decreſcant, periculum omne evaneſcit: & applanatur ſimul via * ad finiendam prorſus Curam, & reſtabiliendum Corpus. Verùm ſi Symptomata non perſiſtant duntaxat, ſed obſtinata magis evadant, & vehementia, imò fortè emergant nova, Quæſtio oritur haud levis, quid, Fabricâ Corporis nunc valde conquaſſatâ, & Viribus labentibus, facto opus ſit in hoc rerum ſtatu; quo nihil certi ſtatui, vel determinari poteſt, niſi priùs, quid deficiat, ſit definitum. Eſt hæc regula abſolutè neceſſaria, obſervata & commendata quibusvis, methodicè & cum judicio operantibus non in Medicina duntaxat, ſed omni alio Vitæ, Artiumque

Stadium quartum, ſive Variolarum Declinatio.

* conf. §. 55. infra.

Accidentia hujus Stadii non recenſita à D. Freind.

F etiam

etiam mechanicarum genere. Nemo ſanè peritorum Chirurgorum medebitur morbo cuidam articulari , niſi noverit priùs , num Fractura ſit , vel Fiſſura, vel Luxatio. Neque ſuſcipiet Horologiopœus reſtitutionem Automati vel ceſſantis, vel in motus anomalos abrepti, niſi invenerit errorem in hac illave Rota, Pendulo, Elatere, aliave parte. Hanc Viam ſi triviſſet *D.Freind*, aliive Artis Medicæ Magiſtri, qui eum ſequuntur, clariſſimâ fulgerent luce, quæ ſcripſerunt cunque: poſſentque Lectores ſolidum de iis formare judicium, & ego magna laboris mei parte ſuperſedere. Tentabo autem, utcunque huic molimini videar impar, eadem curâ, quam in primo adhibui ſtadio, Naturæ veſtigia ſecutus, & ad Symptomata, atque circumſtantias, ut decet, attendens, repræſentare interiorem rerum ſtatum, ut inde detegi poſſint principia & cauſæ malorum, hocce Stadium concomitantium. Eſt, quamdiu hæc latent, ὕστερον πρότερον omnis Remediorum adminiſtratio, methodus omnis Medendi, res probè perpendenda

in

in tanti momenti negotio, à quo pendent plerumque Hominum fata.

XVIII. Cauſæ Morbi & Principia ſi ſint eadem, Fons pariter idem, ut ſuo patebit loco [a], quid mirum, ſi & hujus Stadii Symptomata futura ſint eadem, quæ primi? exertura ſeſe pro varietate caſus, & circumſtantiarum. Sunt hæc: Nauſea, Languor, Stomachi Inflatio: Dorſi Dolor. Thoracis anguſtia, Dyſpnœa, Præcordiorum Anxietas, Imbecillitas. Delirium, Phrenitis, Affectus Comatoſi. Diarrhœa, Fluxus Sanguinis. Febris. Subſultus, & Vellicationes partium. Urinæ Suppreſſio. Stranguria. Mictus cruentus. Hæmoptyſis. Quorum Symptomatum, hactenus non prolatorum, Ætiologia nunc ſequetur.

In præſenti conamine ſupplenda.

a. conf. §. 54. infra.

De hujus Stadii Symptomatibus, eorum Origine & Cauſis.

XIX. Accidit aliquando Diarrhœa, Saburrâ putridi Phlegmatis in ingentes turbas actâ: materia nempe in fundo [b] ſtomachi reſidens, ſupernatante putrida magis & vitiata, ſurgens tandem, & majorem organo huic noxam atque moleſtiam creans quàm ante properè ad Inteſtina delata ipſorummet horum actione deorſum

De Diarrhœa.

b. conf. §. 36. infra.

 ſum

ſum ſucceſſivè pulſa Diarrhœam creat. Aliter fieri nequit, quàm ut materia vitioſa attenuata, & in motum acta, tranſeundo omnia vaſorum Lacteorum orificia partem illuc,& ad Sanguinem, Habitúmque Corporis, eadem jàm nimis oneratum transmittat. Hinc diſcrimen, in quod conjicitur æger talismodi Diarrhœam patiens. Ordinarium autem in hoc caſu accidens eſt ſubitaneus Puſtularum collapſus. Accidit id ordinariè non tam, quod quidam ſomniant, ex ſupplemento materiæ per Diarrhœam aliorſum lato, quàm ex Saburræ vitioſæ tanta in Maſſa Sanguinis copia, quâ extrema capillaria vaſa ad cutim obſtruuntur, & ſic fluxus ulterior ad Puſtulas intercipitur. Prima Medici in Diarrhœa cura eſto, roborare Vires ægri pro tempore: removere omnia obſtacula & impedimenta deſcenſus, ne peccans materia impedita transverſim urgeatur in Sanguinem, ſed ut citò ac ſecurè,ac quidem fieri poteſt, eliminetur extra Corpus; Stomachi tumultus ſedentur,ne præproperæ & unâ vice nimiæ

fiant

ſiant dejectiones. Suppreſſio materiæ in Inteſtinis non poteſt non eſſe periculoſa, quandoquidem ſic materiæ Via ſternitur ad Sanguinem. Admodùm autem juvat, detinere eam per tempus, quantum quidem licet, in fundo Stomachi quietam [a], ubi reſidebat anteà, & diu fortè ante [b] absque noxa ſenſibili, donec in motum acta turbas creavit: Sic conceduntur induciæ & tempus Organis & partibus, quo ſeſe ab hoſte immiſſo liberare & Vires reacquirere poſſint. Qui probè attendunt immenſæ putridi Phlegmatis copiæ, vix alii diſtinguibili materiæ immixtæ, hâc Diarrhœâ excerni ſolitæ, remoti haud ſunt à conſpectu præcipuæ materiæ morbificæ. a. conf. §. 52. ſub fin. b. conf §. 55. infra.

XX. Quòd ſi unà cum Phlegmate per Fiſtulam Inteſtinalem deſcendat Bilis æſtuans, acris, corroſiva, læduntur inde & lacerantur tenera capillaria vaſa, & ſic, effluente Sanguine, oritur Dyſenteria. De Dyſenteria.

XXI. Phlegma putridum majori copiâ Sanguini illatum, quàm ut ad Cutim expulſum ad Puſtulas tranſire De Partium convulſivis ſubſulti-

bus: & Affectibus dictis nervoſis. poſſit, licet non prorſus obſtruat tenuia vaſa Superficiei capillaria, parte tamen ſuâ craſſiori & viſcidiori in tenera illa vaſa Sanguifera motu incerto actum convellit ea, atque Subſultus illos cauſatur, qui communiter adſcribi ſolent Muſculorum Nervis atque Tendinibus. Videbunt ſanè perquam clarè, quibus rem hanc penitiùs examinare lubet, in hoc non minùs, quàm aliis hujusmodi caſibus, Affectus vulgò dictos Nervinos aliud non eſſe quàm Vaſorum dictorum Sanguiferorum Affectus.

De Iſchuria. XXII. Putridi hujus Phlegmatis portio circulo Sanguinis ad Renes delata, & unà cum Urina excernenda, obſtruit craſſitie ſua viſcoſa & nimiâ canaliculos renales, ut ſubinde impediatur Secretio Urinæ in illis Organis, & oriatur Iſchuria.

De Stranguria. XXIII. Calore ſuo & acrimonia æſtum excitat, & Dolorem in tranſitu materia bilioſa, per Lactea vaſa Sanguini illata, & à Viſceribus ſeſe à materia peccante liberaturis ad Vias Urinarias ablegata. Huic ipſi Bili ſeſe jungunt Halitus, inflari ſolet & diſtendi

di ipſa Veſica. Quo ipſo eluditur vis contractiva, ad Urinæ expulſionem neceſſaria, ejusque exitus, ſi non ſupprimitur prorſus, non parum ſaltem impeditur. Sive nunc deſcenſus à Renibus ſit liber, & Liquor Urinarius copioſus, ſive propter Obſtructionem à Phlegmate ibi ortam paucior, Stranguriam concomitari ſolent hæ circumſtantiæ.

XXIV. Quòd ſi Phlegma eâ vi & quantitate impingatur in canaliculos Renales, ut aliqui horum rumpantur; vel, quod communiter accidit, Salia bilioſa hâc Via exitum quærentia & numero exceſſivo, & acrimoniâ corrodant, & lacerent capillaria ſive tenuiſſima Sanguiveha vaſa, effluere ſolet ipſe Sanguis, eoque Urinâ tingi. Non miræ videbuntur hæ ſtrages iis, qui propriâ Experientiâ edocti nôrunt, quanta, Salium bilioſorum, Ammoniacalium, acerborum, Vitriolicorum copia com̃uniter ſimul cum Urinâ excerni ſoleat in hoc caſu, & Stranguria. Ordinariè equidem remanent Æſtus, Dolores, aliàque Symptomata, aliquandiu ab excretione maximæ *De Mictu cruento.*

 par-

partis Salium bilioſorum. Hæc enim quia reſolverunt Mucum, quo Urinariæ Viæ & Ductus, inprimis Urethra, incruſtari ac defendi ſolent, arrodendo membranas, eas ita reddunt ſenſibiles, ut & à Salibus ipſi Urinæ propriis, dum tranſeunt, afficiantur; durat autem incommodum hoc, uſque dum Partes ſuo reſtitutæ ſint vigori, & Mucus ſecretione ſufficienti ex Glandulis reſtauratus.

De Hæmoptyſi.

XXV. Læduntur à Bilioſis Salibus unà cum Phlegmate vitioſo circulantibus non minùs Pulmones, Tonſillæ, & Glandulæ Faucium, quàm Renes; & ita ſæpe, ut læſis partibus excernatur per illas quoque partes Sanguis. Hinc Hæmoptyſis; & eſt quidem Sputum ipſum communiter adeò acre & corroſivum, ut Salium redundantium qualitas inde haud difficulter cognoſci poſſit.

Rationes, cur hujus Stadii Symptomata ordinariè ſint vehementiora &

XXVI. Haud abs re erit, opinor, inquirere, quî fiat, ut cauſis iisdem producta Symptomata, inprimis Secunda Febris, ſint vehementiora, & turbulenta magis prioribus. Eſt hæc perquiſitio tantò neceſſaria magis, quia ſub

ſub hujus morbi finem Corpus non tantùm per aliquod temporis ſpatium nutrimento ſuo privatur & inidoneum redditur,ſed ejusdem partes tenerrimæ,& maximè delicatæ, nil tale præſtolantes inſultantur à crudeli hoſte; per conſequens & diſcrimen majus,&Cura circumſpectione magis indiga, & difficultatis plena. Mutatam hanc Principiorum fortiùs nunc agentium ſcenam attribuo ego tribus inprimis cauſis. 1. Morbi principia, quæ leviora ſunt & ſupernatant in Stomacho, eo ipſo minùs putrida,minusque noxia; ea autem, quæ in fundo ſtagnant *, diuturniori morâ vitioſiora,craſſiora, ponderoſa magis & noxia. Abeuntibus illis,hæc proin, ſi deducantur in actum, ſuam luſura ſcenam, quia vitioſa magis, Symptomata quoque excitant graviora, & mage funeſta. Qui probè attendunt ad Vomitus prudenti lege motos,eos latere nequit ſeries rerum in Stomacho peragi ſolitarum; & quòd inferiori communiter ſitu locata ſint principia magis ponderoſa, activa & potentiora. 2. Expoſitum jam

Urgentia magis, quàm Stadii primi.

* conf. §. 16. ſupra.

diſcrimen, quod comitatur Diarrhœam in hoc Stadio. Quod ſi accidat, uti communiter fit, ut Inteſtina ſint obſtructa, & via per hanc fiſtulam intercepta prorſus; organa inſuper & vaſa in Corporis habitu ita repleta, ut admittendæ vel recipiendæ novæ materiæ ſint inidonea, impeditur omnis ex Stomacho egreſſus, qui in præcedentibus Stadiis fuit apertus. Hinc eſt, quòd principia ibi conſtricta in majores coeant luctas, & copioſioribus ſuis halitibus cauſentur majorem quoque Organi hujus inflationem, per conſequens & graviora incommoda Dorſi, Thoracis, Capitis, & aliarum partium ſuperiorum. 3. Sub hujus Morbi finem machina Corporis onerata nimis, & organa preſſa moliuntur quacunque viâ eliminationem: acciditque frequenter, ut eructetur portio materiæ per Vaſa Gaſtrica in ipſum Stomachum; * ibique in novos conflictus acta cum materia antehac reſidente in Stomacho, novas excitet turbas. Toties occurrunt hujuſmodi caſus, ut non latere poſſint quempiam in Arte Medica verſatum.

* conf. §. 26. infra.

XXVII.

XXVII. Reſtat examinanda alia quæſtio, cur Variolæ ſint in his, quàm in aliis, numeroſæ magis, denſæ, & confluentes, morbusque longioris durationis, & gravioribus ſtipatus Symptomatibus? Oritur * hæc differentia ordinariè ex primo Materiæ in Stomacho fonte, vitiato magis & largiori in unis, quàm aliis. Conſtat hoc ex ipſis Symptomatibus, ſicubi e. g. Diarrhœa vel Laxatio magna eruptionem Puſtularem præcedit. Expelluntur hæ fortè citiùs: intumeſcit Facies ac Caput, & fluit Saliva in hoc caſu faciliùs, quàm in aliis. Interim non obſtante Puſtularum eruptione continuat Febris cum Stomachi & Partium ſuperiorum Symptomatibus. Puſtulæ ſi tandem ruptæ fluant, majorem longè excernunt materiæ copiam. Ipſa hæc materia Phlegmatica quia majori adeſt copiâ, & proin diutiùs ſtagnavit in Stomacho, majorem quo- Cur Variolæ non ſint omnibus ex æquo noxiæ.

* Silentio prætereo caſus, quibus vitia præceſſerunt in ipſis Organis; ſpeciatim verò Vaſorum Lacteorum obſtructiones, quæ impediunt, quò minùs materia peccans liberè poſſit tranſire ex Stomacho ad Habitum cutaneum, pro replendis Puſtulis. conf. §. 69. infra.

quoque induit putredinis gradum, tandemque Puſtulis effluens majorem quoque ſpirat fœtorem, graviorem-que infert noxam. Et Biliosa materia majori pariter redundans quantitate, ac vitioſa magis, effluxu ſuo arrodens & erodens Cutim,cauſatur ibi foveolas, cicatrices,& veſtigia Morbi duratura. Derivandam eſſe differentiam inter Variolas Simplices benignas, & Confluentes, unicè ex differenti vitioſæ materiæ quantitate,patet ex eo, quòd in illis poſt eruptionem Puſtularum allevietur Stomachus cum Partibus ſupernis affectis,nec continuent pòſt Symptomata, uti quidem fit ordinariè in Confluentibus. In priori namque caſu adeò parva eſt materiæ quantitas, ut derivari omnis poſſit ad cutim, omnis ſaltem, quæ in turbas agitur, & Stomacho moleſtiam faceſſit, nec major ſit, quàm quæ commodè & ſecurè excipi poſſit à Puſtulis, & partibus extremæ ſuperficiei. Ut proin partes internæ, nobiliores, & vaſa, ab illius onere & viſcoſitate reddantur immunia. Aſt in Confluentibus poſt & præter ingentem ad

Cuta-

Cutaneum Habitum affluxum, nova magis & magis & continuò accedit materia in Stomacho, & eâ ſæpe copiâ, ut viſcera inde opprimantur & ſuffocentur. Patet hoc ita abundè ex Symptomatibus recenſitis, ut ulteriori probatione non ſit opus. Confirmatur hæc doctrina inſuper ex eo, quòd per Evacuantia diminutâ vitioſæ Saburræ Stomacho inexiſtentis quantitate minuantur quoque & Symptomata, & periculum, pro ratâ Evacuationis portione.

XXVIII. Finito nunc quarto hujus Morbi Stadio, viſis ejus Symptomatibus, & examinatis eorundem cauſis, conſideranda proximè erunt Remedia, & eâdem methodo nunc proſequenda, quâ uſi fuimus in deſcriptione primi Stadii. Remedia.

XXIX. Sunt qui magnum quærunt momentum in Veſicatoriis. Nimius forem, ſi mentem meam aperirem circa horum Operationem, & introducti his temporibus uſus frequentiam. Impræſentiarum notâſſe ſufficiat, Ichorem veſicis excerni ſolitum indolis eſſe diverſæ admodùm De Veſicatoriis.

à ma-

à materia vitioſa ex maſſa Sanguinis in Puſtulis depoſita : perconſequens Veſicatoria non poſſe adjumento eſſe Naturæ materiem peccantem ſecreturæ & expulſuræ ; imò verò potiùs impedimento : nam Ichor, quem promunt, tenuior multò eſt materiâ variolosâ ; proin, ſubtracto tenuiori fluido, craſſius motui excretorio redditur minùs idoneum. Prætereà Fontem & Originem malorum non aggrediuntur Veſicatoria : remanentibus autem morbi principiis & cauſis in perturbato Stomachi Statu, erunt molimina omnia, quæ in Sanguinem fiunt, incommoda, ſimul & infructuoſa. Neceſſarius eſt continuus ex hoc Organo ad Maſſam Sanguinis fluxus, uſque ad illius expurgationem ; & debent principia morbi in motum acta vel eliminari prorſus, vel quæ reſtant figi, & ad quietem diſponi. Nec, opinor, neminem latet, quàm frequenter Veſicantia cauſentur Stranguriam, & Mictum Cruentum. Hunc præter alia Symptomata irregularia, & periculoſa ſiſtit *D. Sydenhamius* * tanquam fructus

Hæc ſequitur ſæpe Urina Cruenta. Phlebotomia, ut & Camphora cum Aci-

* Proceſſus integri in Morbis, &c. p. 39.

fructus perverſæ Variolarum Tractationis: & unus ex amicis *D. Freind*, agens de quibusdam mictu cruento affectis, bina memorat media hac occaſione adhibita. Unum erat *Venæ Sectio*, quæ tamen, eo referente, *Mictum cruentum non modò non cohibebat*, ſed *augebat, & mortem in procinctu ſtantem accerſebat.* * Id haud mirum, & facilè prævideri poterat ab oculatis, ut Experimento adeò difficili non fuiſſet opus. Sanguinis miſſione non minuitur duntaxat Vitæ & virium Suſtentaculum, ſed via panditur deſcendenti ex Stomacho acri, æſtuoſæ & corroſivæ Bili, & hinc ad maſſam Sanguinis impetu novo & majori tranſeunti. Hæc ipſa autem quia eſt cauſa lædens ac lacerans Inteſtina, & totam Corporis compagem, ipſam quoque accerſens Mortem, haud ſanè difficile fuit prævidere, quid tantum ac tam rapidum Bilioſæ materiæ Torrentem inſequi debuerit. Certum hoc, poni rem per hujuſmodi Experimenta extra omne dubium, & reapſe ſiſti, quod ante fuit mera

dis in hoc caſu nunquam non ſunt funeſta.

* Comment. pag. 115.

mera Speculatio. Sive Experimenta hæcce fuerint propria ſua, ſive aliorum ſibi familiarium, certum hoc, ægros iis malè & rem ſuam & tempus egiſſe. Mihi quidem Praxin hanc penſitanti in mentem venit illud Plinianum, ſimili fortè occaſione natum. *Diſcunt periculis noſtris, & Experimenta per mortes agunt.* Nat. Hiſt. L. XXIX. c. 1. Oſtenderem, ſi digredi luberet, Medico iſti, eſſe non magis proficuam, imò nec indicatam Phlebotomiam in Dyſpnæa, commendatam licet tanquam feliciſſimum, quinimò unicum remedium [a], licet eam Mors non neceſſariò ſubſequatur. Alterum, quod memorat, remedium eſt *Camphora bis in die exbibita, & Acida largâ manu propinata.* [b] Haud parùm mehercle obſtrinxiſſet Lectores quoscunque intelligentes, & Rationis amantes, ſi ex Philoſophia Naturali rationes deductas participaſſet, quandoquidem ex prudentiorum & peritiorum Medicorum numero neminem novi huic methodo faventem.

Fuerint

a. Comment. pag. 115.
b. Ibid.

Fuerint ſanè prægnantes admodùm, quoniam ipſo fatente terminârunt remedia in ægri morte.* Impoſuiſſe ipſi videtur ablatio Symptomatis per remedii uſum. Aſt enimverò nemo facilè judicabit id proficuum valde ægro,quod conſtanter certam ei accerſit mortem. Plus ſemel vocatus ſum ad Varioloſos laborantes Mictu cruento: ſed non memini unquam ortum hoc Symptoma in propria mea Praxi. Neque vidi Camphoram præſcriptam & Acida. Et videtur mihi, ſi verum fateri velim,Praxis hæc mutare Symptoma hocce in aliud longè deterius. Continuante Urinâ Sanguineâ exeunt ſimul Sàlina illa Spicula, quæ quamdiu in Corpore hærent, periculo non vacant. Via, fateor, non eſt Naturæ Sanitative congrua: præſtat tamen ſemper eliminari, quàm detineri in Corpore hoſtem. Sunt,qui hoc affectu hic & nunc vivunt, & ſatis quidem benè, per aliquot annorum decurſum: unde conſtat,non eſſe tanti momenti hoc Symptoma, ſi ſolum. Quò verò alii tantò meliùs ju-

* Comment. pag. 115.

dicare queant de momentis rationum, monſtrandum ſumo, quî Praxis hæc nova auferat Symptoma; idque pro poſſe meo, & plurium rerum in obſcuro adhuc jacentium conditione. Non conſtat mihi in ſpecie, num Vitriolicæ fuerint indolis Acida ab ipſo exhibita. Si talia fuerint, quod videtur, ut in ſatis frequenti ſunt uſu, haud aliud egit, quàm fomitem addere flammæ: quandoquidem Vitriolum primarium eſt ingrediens Bilis, quæ præcipuas in gravi hoc Morbo ciet turbas. Rectè & notanter innuit *D. Freind* in ſuis Scriptis * circa virulentum humorem in Variolis obvium, eſſe ejus effectus conformes iis, quos exerit Oleum Vitrioli. Limonum ſuccus, aliave Acida, ſi iis uſus fuerit, eodem prope recidunt. Eſt Camphora unum ex volatilioribus maximè & activis medicamentis, quæ quidem in Natura occurrunt: tale autem Corpore Humano, jam reapſe cum turbulentæ agitationis gravibus effectis colluctante, aſſumtum, non poteſt non magnos ciere tumultus. Sunt acida indolis è diametro contra-

* Comm. in Hipp. p. 130.

riæ

riæ Camphoræ ; & nemini non mira videbitur ϗ ἀπροσδιόνυσος hæcce Corporum diverſæ adeò naturæ aſſociatio. Eſt judicium quoddam ſolidum circa mixtionem illam & combinationem difficile admodùm, ſi non impoſſibile, quoniam Camphoræ proprietates, Corporis adeò fugitivi & intractabilis, nondum nobis ſunt plenè perſpectæ, & nec ipſe expoſuit ac definivit ſingulorum doſes atque proportiones. Indicare equidem videtur *, largâ manu propinari fluida, acidorum vehicula. In hoc caſu, ſive uſui veniant Cereviſia tenuis ſive Ptiſana, aliudve Apozema, vel qualiscunque Liquor, diluetur ita & ſubmergetur Camphora cum Acidis, ut exigui ſint expectandi effectus, niſi exhibeantur doſes largæ. Rapient ſecum quæcunque hæc fluida obvia Bilioſa Salia, &, unà cum Acidis & Camphora attenuabunt valde putridum Phlegma, primariam præſentium malorum cauſam; & eâ quidem copiâ in Maſſa Cruoris accumulabunt, ut diluta & evoluta Salia lædendo vaſa cauſentur mictum cruentum, ſimul & pu-

* vid. Loc. ſupra.

 trido

trido Phlegmate inundetur integra compages, atque onerentur capillaria vaſa, Glandulæ, & tenerioris texturæ Viſcera, tandem ſuppreſſis prorſus viribus Corporis confundatur integra Corporis Oeconomia. Non dantur hæc effectui uno momento; ſed oneri ſuccumbat neceſſe eſt, poſt doſes bis in die iteratas; Gradualem hunc ad pejora deſcenſum perſpiciet facilè, qui attendere vult ad circumſtantias, & genuinam habet Mechaniſmi Corporis ideam, imò & prævidebit graves conſequentias; easdem nempe, quas nunquam non contigiſſe affirmat inſignis hic Practicus. Non quòd non alia circa hanc Methodum ſint obſervanda, Extinctio Febris, Suppreſſio Flammæ, abſque qua peccans materia eliminari nequit, neque Corpus animari, & roborari, neque Natura ab hoſte crudeli liberari. Quòd ſi his meis Animadverſionibus lucem quampiam accendi materiæ obſcuræ, & contuli quidpiam ad reſtitutionem eorum, qui in triſtia hujusmodi accidentia cadunt, gratiam inivi apud methodi hujus Autho-

Authorem, eamque ſuſpectam ipſi reddidi, ſcopo meo haud excidiſſe me putabo. Conſiderationi nunc ulteriori ego ſubmitto Medicamentum longè diverſum, imò è diametro oppoſitum, quod prudenter exhibitum, ſi non ſemper, ut plurimùm tamen, juvat; quo vita ſalvatur, & Mors non ſemper, ut aliâs, ultimum Scenæ actum claudit. Sunt autem hæc, quæ commendo, Oleoſa & Unctuoſa. Camphorata & Vitriolica ſicuti naturæ ſunt Corpori inimicæ, &, quantum quidem ex examine conſtat, ad Venenorum indolem prope accedunt, ita hæc Unctuoſa medicamenta vera ſunt Antidota, Corpori amica, & nutritiva. His enervantur Spicula mictum cruentum cauſantia, tolluntur Vitriolica, aliave noxia Salia; eluduntur turbulenti conflictus: deliniuntur viæ inprimis Inteſtinales, & lubricantur; diſponitur tandem materia vitioſa ad deſcenſum, & excretionem ex Corpore; quæ promoveri inſuper poteſt Clyſmatibus carminativis morbo adæquatis, utpote quibus expelluntur flatus, removentur obſta-

 cula

cula deſcenſus, derivantur vitioſa Salia à via Vaſorum Lacteorum, Sanguinis, & Renalibus, ubi non poſſunt non magnas inferre noxas, tandemque per viam omnium maximè naturalem & rectam eliminantur extra Corpus. Omne id effectui dare poteſt prudens & circumſpectus Medicus magnâ erga ægrum lenitate, & iis doſibus ac menſuris, quas quidem reputabit caſui conformes. Haud neceſſariam reputo ἀνακεφαλαίωσιν, aut Methodorum hactenus recenſitarum comparationem. Evidens quippe, vel primo obtutu, eſſe in una harum Medicamenta Naturæ conformia, in altera è diametro contraria. His exaſperatur malum, illis lenitur. Hîc remedia deferunt materiam vitioſam in Sanguinem, & totius Corporis Habitum, haud levi incommodo & periculo: ibi fit derivatio, & per viam rectiſſimam evacuatio. Ipſa quoque communia Medicamenta mucilaginoſa inviſcant Salia, defendunt Membranas, lubricant vias, & ſucceſſu felici haud carent. In teſtimonium advoco D. W. Watlington, D. Kath.

Long,

Digitized by Google

Long, aliosve caſus, qui ſpero, aliquando viſuri ſunt lucem. Nunquam ego hoc Symptoma adſpexi ut periculi plenum, vel tractationis difficilis; neque novi ægrum, qui eo objerit, non ullum, qui non hâc ipſâ horâ vivat, & benè quidem. Res non indigna conſideratione Nobiliſſimi Viri, aliorumve, ſi qui præter illum Camphorata exhibent & acida.

XXX. Pergo nunc proximè ad alia, quibus Symptomatibus quarti Stadii obviam itur, Remedia; nominatim ad Venæſectionem, quæ utut valde frequens Naturæ tamen & Rationi, meo quidem judicio, eſt ut plurimùm adverſa. Hoc quidem verum, quòd ſubductione partis ex Maſſa Sanguinea reliquum plus obtineat ſpatii & libertatis ad circulandum, & ex hac ratione nonnulli Corporis morbi, ex nimia humorum copia oriri ſoliti hoc Remedii genere pro præſenti diminuantur. Verùm ſi fomes materiæ peccantis in Stomacho non evacuetur priùs, hæc ipſa mala neceſſariò, ut ſolent, ſuas habent recidivas, novâ mox materiâ ex Stomacho ad De Venæſectione.

Sanguinem translatâ, & vaſa Sanguiveha in vicem emiſſi occupante. * Eſt hæc mutatio dubio procul in deterius, quoniam vitæ & virium fomite emiſſo ſuccedit materia deterrima. Ut non mirum ſit, inſequi communiter incommoda maxima, & aliquando omni remedio invicta. Neque generari poteſt novus & laudabilis Sanguis, niſi priùs materia peccans eliminetur ex Stomacho, hujusque ſedula habeatur ratio, reſtauretur Appetitus, ſuppleatur probum alimentum, & reſtabiliatur Digeſtio. Ante autem

Occaſione hac agitur de Hydrope, & Aſthmate.

* Qui Sanguinis ſunt prodigi, eumque levi quavis occaſione emittunt, frequentiſſimam dant hujusmodi translationibus ex Stomacho in Sanguinem occaſionem, præſertim in ſubjectis Indigeſtioni obnoxiis, & quibus Stomacnus & Inteſtina copioſo Phlegmate ſunt referta. His quippe ordinariè accidunt Tumores poſt Venæſectionem, & tales, qui manifeſtiſſimè indicant ortum ex Phlegmate illuc translato, quod cùm craſſum ſit, iners, grave & viſcidum, omnium humorum facillimè figi poteſt, & obſtructiones gignere in vaſis capillaribus, inprimis cutaneis, & quibuscunque à Cordis actione & potentiâ remotiſſimis; ſpeciatim pedum & Crurum: accedit, quòd Corpore erecto aſcenſus Phlegmatis contrarius directioni à Gravitate pendenti majus adhuc ſufferat impedimentum. Hæc ipſa eſt cauſa, cur his Tumoribus obnoxii ſint inprimis Pedes & Crura. Tollitur hoc impedimentum Corpore recurvo;

autem quàm hoc contingat cadent Vires, quoniam reſiduum in Sanguine alimentum neceſſitati Naturæ non ſufficit, niſi novo ſuggeſto ſuſtentetur.

XXXI. Sunt qui confidunt multùm Opiatis in hoc Stadio, & ſanè negari nequit, eſſe poſſe aliquando uſui. Bilis vitiatæ colluctationes ſicuti neceſſariò irritant Stomachum, ita viciſſim Bilis motum promovent Organi hujus fibræ irritatæ & in convulſivos motus actæ: Quibus hæ operationes, & operandi modi probè, ex attenta nempe conſideratione, conſtant, eos De Opiatis.

G 5 mini-

curvo; unde tunc remittunt hujusmodi intumeſcentiæ, ſæpe etiam ad tempus evaneſcunt prorſus. Phlegmate hoc, ſi copioſum ſit, remeante ex Cruribus ad ſuperiora oneratur Stomachus magno ſui incommodo, inflatus inſuper ab halitibus bilioſis, frequentibus Phlegmatis comitibus, in anguſtias cogit Thoracem, opprimit Pectus, & ſic inducit Dyſpnœam. Quæ Symptomata remittunt, redeunte ad Crura Phlegmate. Operæ duxi hoc afferre in teſtimonium communicationis & conſenſus, qui obtinet inter Vaſa Sanguifera, & Stomachum. † Ubi Phlegma Vaſis impactum eſt craſſum valde, denſum, & tenax, molleſcunt ita tumidæ partes, ut digitorum impreſſa maneant in iis veſtigia. Nonnunquam obſtruuntur penitùs Vaſa benè multa, ut denegetur tranſitus ipſis humoribus ſeroſis, tenuibus, aqueis; qui junctis Salibus acriores redditi erodunt, & rumpunt Vaſa, & his ruptis effluunt, ſicque Hydropem gignunt.

† *conf. §. 56. infra.*

minimè latet, obtundi fibrarum ſenſum atque diminui motum ſpasmodicum ex uſu Opii, ſi nempe copia Bilis non ſit Viribus hujus medicamenti ſuperior; per conſequens & minui turbas Bilis, aliorumque vitioſorum humorum ibi ſtagnantium. Dum hæc ita contingunt, transmiſſio peccantis materiæ in Sanguinem ſi non ſuſpenditur prorſus, multùm ſaltem diminuitur, ut inducias patiantur vaſa Sanguifera, & Viſcera, & liberentur ab onere moleſto, quo gravabantur ante, hoſte expulſo per Puſtulas, Renes, & Emunctoria alia ordinaria. Fidem penè ſuperat mutatio, quæ ſequitur ordinariè. Bile ſic retentâ & veluti captivatâ in Stomacho, remittunt Symptomata Habitus Corporei, unà cum Febre, & Æſtu. Senſibiliter ſatis minuuntur Dolores, Inflammatoriæ Exulcerationes, & rubores Cutis. Feliciter omnia ſuccedunt, ſi hoc modo peccans in Stomacho materia poteſt per adæquata intervalla frœnari, & ad quietem diſponi, dum Habitus & Viſcera liberantur. Non quidem eſt Medici omittere quidpiam

corum,

eorum, quæ tempus dictat & occaſio, niſi ipſa urgeant Symptomata, & ſana Ratio ex propinatione remedii activi prævideat emerſuram Sanitatem: quam, dum tempus perdit, conjicit in diſcrimen, ſi non tollit: attamen prudens ſimul & humanus Medicus absque neceſſitate nunquam violenter aggreditur morbum, neque Evacuationes inſtituet in Corpore diutinis inſultibus debilitato, & ad tot anguſtias redacto. Rationi certè non eſt conſonum, recurrere ad Purgantia, ubi mitioribus res peragi poteſt: & Corpus inducias paſſum liberare ſeipſum, & recuperare vires: hoc ſi contigerit, Evacuationes ſuſcipi poſſunt cum ſpe felicis ſucceſſus. * *conf. §. 55. infra. De Evacuantibus.

XXXII. Verùm ſi omnibus aliis Remediis in caſſum adhibitis nihilominùs continuent Symptomata, nec locum cedant, vita ſalvanda erit per molimina generoſa, & recurrendum ad Evacuationes. Ejiciendus eſt, ſi pote, hoſtis internus, qui neque pacem admittit, nec altius dominium. Quæritur nunc, qualianam conveniant Evacuantia. Placet *D. Freind*, ejusve ſecta- Purgantia in hoc Stadio propoſita à D. *Freind.*

ſectariis, Purgandi methodus. Hanc præſcribi volunt ab ipſa Natura,& indicari à Diarrhœa, quæ Varioloſis quibuſdam accidit; & certè indicat ſaburram in Corpore reſiduam, Naturam nimio onere, quo ſe liberare tentat, gravatam. Verùm inquirendum probè, an, quod aliquando accidit,ſtatui debeat pro norma conſtanti. In Stadio hocce remotâ per gradus materiâ ſupernatante,ſurgit proximè, quæ in fundo Stomachi reſidebat, & ſuperiorem nunc locum occupat: hæc autem quia vitioſa * magis eſt & noxia,majori per conſequens ſtipata periculo, non poterit non exturbatio ejuſdem in Inteſtina, & Vias Sanguinis, & copioſæ quidem, compagem totius Corporis conjicere in diſcrimen,& vitam exponere periculo; rebus nunc in eo ſtatu ſitis, quo ſunt, Corpore jam nimis onerato, viſceribus languidis, debilitatis, & propemodùm exhauſtis. Supini ſunt admodùm, & rerum minimè gnari, qui ſibi imaginantur, Naturam vel Corporis Mechanicam Structuram recto ſemper incedere tramite,ut Regiâ ſuâ viâ nun-

Diarrhæa ſubinde accidens obtruſa pro naturali indicante Purgationis, ſed malè: eſt duntaxat indicans ſaburræ. Hujus exturbatio in Fiſtulam Inteſtinalem per Purgantia eſt noxia.

* conf. §. 16: 26. ſupra.

Non ſemper imitanda Natura.

nunquam excedat [a]; nunquam non proin & ſecurè imitandam, ejusve actionem proſequendam. Sunt certè Criſes,& Naturæ molimina ſalutaria: ſed & fatalia. Accidit haud raro, ut impingatur parti alicui materia morbifica eâ copiâ, ut generetur non ſolùm Tumor, vel Abſceſſus, ſed quoque Inflammatio,imò & Sphacelus & Partis mortificatio; per conſequens & Vitæ deſtructio, ſi depoſitio fiat in Viſcus nobile,cujus actio toti Corpori eſt neceſſaria [a] Sanguine,quod hîc communiter fit, inæqualiter diſtributo, [b] ſi parte quapiam hujus Fluidi nimiùm oneretur, & veluti inundetur organum quodpiam, eò uſque, ut vaſa rumpantur,& Sanguis copiosè profluat, in manifeſtum incidit Vita diſcrimen.Uti in Hæmorrhagia Narium, & Hæmoptyſi; vel Vomitu Sanguinis. Communis eorum,qui Naturam imitari prætendunt, Praxis in his occaſionibus eſt, plus Sanguinis detrahere; corpore licet languido, viribus ex-

Exemplum depoſitæ in partem quampiam materiæ vitioſæ.

Hæmorrhagiæ.

Phlebotomia hac occaſione adminiſtrata cenſuræ ſubjicitur.

a. Sunt Monſtra,Deformitates,errantis ſubinde & perverſè operantis Naturæ indicia indubia.
b. Conf. §. 16.26. ſupra.

exhauſto, ruinam minitante propter jacturam jam factam. Foret ſanè Rationi conſonum magis, cauſam inæqualis Circulationis tollere; parcere Sanguini reliquo, ad vitæ ſuſtentationem quàm maximè neceſſario, & in id incumbere, ut reſtauretur priùs pretioſus hic liquor, partesque debilitatæ reficiantur. Hac Phlebotomiæ adminiſtratione ſi non perditur vita, ita ſaltem, & ordinariè quidem, concutitur & depravatur, ut Corpus diu maneat viribus orbum, viva Mortis imago. Quòd ſi preſſus nimiùm Sanguis obices rumpat, & oneratus ſimul ſit ſpiculis ſalinis acribus, lædentur inde & lacerabuntur vaſa tenuiora, effluetque purpureus liquor. Accidit id ordinariè in Mictu cruento. In hoc caſu ſunt, qui Phlebotomiam admittunt. Praxin hanc in hoc Symptomate vidit unus ex *D. Freindij* amicis apud Varioloſos conſtanter fatalem. * Sufficeret vel unicum hoc argumentum contra Phlebotomiam. Et abſurda magis foret hæc Praxis, ſi Naturam imitatura Hæmorrhagiam induceret Renalem. Et tamen eundem errant

*Comm. p. 115. v. Loc. §. 29. ſupra.

errant errorem, qui Diarrhœam Variolosis ſubinde accidentem pro indicante ſumunt exhibendorum Purgantium. Evaneſcit prætereà omnis pro hac Praxi defenſio, ſi conſideretur, Diarrhœam non eſſe ordinarium & genuinum Variolarum accidens. In caſibus à *D. Freind* allatis non eſt unus, in quo non exorta fuerit Diarrhœa ab ipſa Medendi Methodo, unico excepto pag. 126. quo Rhabarbarum cum Diaſcordio, formula ſatis communis, licet rationi parùm conſona, fuit exhibitum pro minuenda Diarrhæa, & ſtringenda alvo; molimine prorſus inadæquato: non enim magis Ratio ſuadet, aut Natura dictat, Diàrrhœam exortam ſiſtere, quàm Viſceribus ad hanc excretionem indiſpoſitis provocare. Exturbatâ quippe ſemel materiâ peccante ex Stomacho in Inteſtina, ſi intercipiatur eliminatio extra Corpus, non aliud reſtat, quàm ut transferatur in Sanguinem; quo nihil poteſt eſſe pro Vita magis periculoſum. Neque ſilentio prætermitti debet, oriri non minùs frequenter Diarrhœam ſub initio

Diarrhœa in Variolis eſt merè ſymptomatica.

Non ſine periculo compeſcitur.

Diarrhœa quarti Stadii num magis in-

Mor-

dicet Purgantia, quàm primi vel ſecundi.

Morbi, in primo Stadio, vel ſecundo, quàm quidem in quarto. Quandoquidem nunc Diarrhœa in ultimo hoc Stadio ſtatuitur ab illis Purgationis Indicans, optimè ſanè egiſſent, ſi rationes indicâſſent, cur non eadem methodus, quam, nî fallor, tum temporis non adhibent, valeat in primo æquè ac ſecundo Stadio. Inclinatio Naturæ & Determinatio aliam longè, & contrariam it viam. Eſt ut plurimùm alvus per totum Morbi decurſum, ſi Variolæ ſint benignæ, & ritè procedant, adſtricta, & fluit tenditque materia ſurſum. In ipſo hoc quarti ordinis Stadio, ubi principia vitioſa in Stomacho fortè in ſufficienti reſtant copia, accidunt ordinariè Nauſea, Ructus, aliquandò & Vomitus: exonerant ſe Glandulæ Faucium & Oris per Salivationem; intumeſcit communiter Caput & Facies. Et recedunt Symptomata hæc, rebus in contrariam viam tendentibus. Quærit ſibi preſſa Natura remedium, ſed Regiam deſerens viam, Vitam ſalvare tentat gravata, & hoſtem per inferiora expellere, tum τὸ ἄνω non per-

Tendentia materiæ ſurſum Naturæ conveniens & amica.

Diarrhœa, ſive Tendentia deorſum diſcrimine non vacat.

permittit Stomachi debilitas, & Viſcerum reluctantia, niſus quoque ad ſuperiora ſunt fruſtanei. Verùm hanc ipſam Diarrhœam, ſi accidat, ominoſam judicabunt omnes Rei Medicæ periti. Sunt, quibus ſtipari ſolet, Symptomata momenti haud levis, & ſequelæ frequentiſſimè fatales. En igitur miram Naturæ imitationem in motibus ejus, adeò ſæpe Tragicis!

XXXIII. Qui rem hanc penitiùs introſpicit, & cognitam habet Mechanicam Corporis ſtructuram, ei non videbuntur miri Tragici adeò Diarrhœæ effectus. Verum quidem hoc, hac ipſâ, & Purgantibus, multùm vitioſæ materiæ morbificæ eliminari extra Corpus. Sed qui eandem viam tentat, is certè, quod in faciem dixerim

Purgatio nec Ratione fundatur, nec Mechaniſmo Corporis.

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractat, & incedit per ignes
Suppoſitos cineri doloſo. *

Excitatur è ſomno rabidus Leo: & materia hæc, attenuata, incitata, ex Stomacho in Fiſtulam Inteſtinalem confertim expulſa, dum hanc totam pertranſit, ſiſtit ſe omnibus Vaſorum

* Hor. Ode 1. L. 2.

H Lacteo-

Lacteorum orificiis, & tantò majori quantitate in Sanguinem ipſum tranſit, quantò majori gravantur ipſa Inteſtina. Quando nunc hæc ipſa materia in Sanguinem effunditur fortè tantâ copiâ, quæ Viſcera inundat, eorum actionem impedit, & toti Corpori redditur moleſta, nemo non videt, majori jure debuiſſe omitti Purgationem, quàm adminiſtrari: induci difficulter poſſum, ut credam, exiguam beneficii Spem, expulſione materiæ per alteram viam hauriendam, æquilibrare poſſe periculum eminens, quod hæc quidem methodus ſecumfert.

Purgantibus intenduntur Symptomata, ſpeciatim Febris.

XXXIV. Certum hoc, accendi ordinariâ purgandi Methodo Symptomata Habitus Corporei, ſpeciatim verò Febrim. Fatetur ipſe *D. Freind* † aliâ occaſione, Purgantibus * accelerari & elevari Pulſum, accendi

† pag. 145. 146.

a. p. 145. 169.

* Non me latet, Eruditiſſimum virum [a] diſtinguere Purgantia, quæ irritant duntaxat Inteſtina, ab iis, quæ ſimul velocitatem Sanguinis intendunt. Perſuaſus ego ſum, difficile ipſi fore, monſtrare ullum ex ita dictis Purgantibus uſitatis, quibus non ejiciatur & deferatur in Sanguinem ſalina Bilioſa & febrilis materia, ſi quæ fortè hæres in Stomacho, proinde febriles ibi excitet motus. Ipſe ſaltem ſecurus

di æſtum, & per conſequens Febrim. Proin dum Febrim urget tanquam Purgantium Indicans, * majus adhuc & evidentius Orbi ſiſtit Paradoxum. Mirum ſanè quid eſt, operationem indicari à Febre, quæ ex propria Viri Clariſſimi confeſſione, ipſâ illâ operatione, ſi non ſemper, ut plurimùm tamen, magis accenditur. Abſterruit hic ipſe effectus peritiores quosvis ante nos Medicos à Purgantium uſu. Sunt quinimò, nec parvæ exiſtimationis, Viri, qui ita ſibi metuunt à Purgantibus vel quibusvis κάτω moventibus, ut potiùs ſubinde, ſi non per integrum Variolarum decurſum, exhibeant *Sanguinem Draconis, Terram Japonicam, Bolum Armenam*, & Adſtringentia alia; Indicio manifeſto, quantopere abhorruerint Purgantia quævis,

* Comm. p. 75. & ſeqq. p. 81. &c.

Adſtringentia prorſus non conveniunt in Variolis.

 vel

curus nunquam eſſe poterit de non ſequuturo hoc ex quovis Purgante effectu. Proin, ſi Habitus Corporis fortè jam nimiâ ſit oneratus materiâ, id omne nec ſalutare eſſe poterit, neque conveniens, quod majus inſuper addit augmentum. Haud diffitetur [b], violentis Purgantibus intendi ſemper velocitatem Sanguinis: & neminem non operationi eorum attentum convincit & Ratio & Experientia, levioribus medicamentis majorem adhuc produci effectum, majores excitari turbas. Conf. §. 36. infra. Et Hipp. περὶ φαρμ. 4.

b. *Comm. p. 145.*

vel Laxantia ; & quàm ſtudioſè alvum liberam , vel nimiam evitare voluerint. Attamen Praxis hæc errore, eoque craſſo, non caret. Adſtringentibus quippe, præſertim ſi fortia ſint,& nimis largè exhibita,abſorbentur,ſuffocantur & captivantur Stomachi contenta, quæ ibi peragi debent, impeditur tranſitus in Sanguinem, eruptio Variolarum & Puſtularum impletio. Neque tamen manent vitioſa principia hoc modo in Stomacho reſtricta otioſa, ſed pariunt ingentia damna. Gravatur iis,& opprimitur, ipſa Digeſtionis officina : infeſtantur Thorax, Præcordia, & Partes ſuperiores, ad uſque Cerebrum, & propterea ut plurimùm ſunt fatalia. Diu abhinc eſt , ex quo luculentum vidi hujus Veritatis Exemplum, in Conſilium vocatus,ſub Scenæ finem,in Praxi Medici cæterùm diligentiſſimi, doctiſſimi,& ſatis judicioſi; qui terrefactus malis,quæ ſibi occurrerunt,ſat magnis, infelici ſorte ab uno extremo tranſiit ad alterum. Scribo, quæ heîc profero, optimo erga virum meritiſſimum animo, & eum ſolum in finem,

ut

ut ſibi caveant alii ; perſuaſus, laturum illum bono animo monitum hocce, ſiquidem perveniat ad ejus manus, & in ægrorum ſalutem converſurum eſſe. Sed, ut redeamus ad Purgantia, ipſe *Hippocrates*, in quem commentatus eſt *D. Freind*, expreſſis verbis ſeſe iis oppoſuit. Certum hoc, ignotas fuiſſe Variolas priſtinis Sæculis. Erant cauſæ, ex quibus oriuntur, Ingluviei poſteriorum temporum fructus. Habuerint Græci & Romani ſuas quoque Feſtivitates, & Comeſſationes, etiam noſtris majores ; non tamen fuerunt eæ adeò frequentes. In intervallis fuere admodùm abſtemii, contenti Diæta ſimplici & tenui. Accedit, quòd potus ordinarius fuerit inprimis Aqua. Quo ipſo Naturæ ſat reſtitit temporis ad exonerationem, & Viſceribus ad virium recuperationem. Quum è contra his temporibus vivant Mortales in continuata ferme guloſitate, repleti bis terve in die pinguibus cibis, & generoſo potu, in ſpecie multâ carne. Hinc conſtans Indigeſtionis & Saburræ ſuo tempore putreſcentis fomes, cui originem ſuam debent Variolæ, aliique Morbi nunc

De origine Variolarum, & aliorum quorundam Morborum his poſterioribus temporibus exortorum, & cauſis eorundem.

 non

non minùs frequentes, quàm funeſti: Hippocrates autem licet nunquam conſpexerit Variolas, certum tamen eſt eo neminem unquam tam benè intellexiſſe Febrim. Aſt ipſe diſertis aſſerit verbis, *nullo modo convenire Purgantia magna Febre affectis*, [a] qualis quidem eſt Febris ſecunda in Variolis Confluentibus, *uſquedum remittat; vel ſaltem non intra 14. dies; Febrem namque* Purgantibus *augeri*, *Bile in motum actâ, nec evacuatâ; & plurima alia oriri mala.* Imò verò animadvertit, Praxin hanc terminari *ordinariè* in *Ægri morte.* [b] Debuiſſet ſanè vel ſolum tantæ Experientiæ, & in Obſervationibus ἀκριβείας ac fidei Viri monitum obicem ponere huic Praxi. Et, fateor, mirari ſatis non poſſum, à tanti Viri tam docto & judicioſo Commentatore Hippocratem in ſubſidium vocari * & tamen non produci ex eo ullum, qui quidem huc quadret

Purgationes in Febribus diſplicent Hippocrati.

* Comm. p. 75.

a. Ὁκόσοι μὲν ἂν ὑπὸ πυρετῶν ἰσχυρῶν λαμβάνονται, οὐ χρὴ τούτοισι φάρμακα διδόναι καθαρτήρια, ἕως τ' ἂν μεθῇ ὁ πυρετός: εἰ δὲ μή, μὴ ὅτις πρὸ τεσσάρων καὶ δέκα ἡμερέων --- Πυρετὸς γίνεται πλείων --- κινηθείσης γὰρ τῆς χολῆς, καὶ μὴ καθαρθείσης --- Ὡς τὰ πολλὰ ἀπόλλυνται Περὶ Φαρμάκ. Sect. 4. Confer etiam Sect. 5. & ἐπιδημ. V. 25. b. Conf. ἐπιδημ. V. 9, 10.

ret locum. Neque ſubſcribere poſſum opinioni *D. Freind*, quòd *D. Sydenhamius non ſatis audax fuerit* [a] in exhibitione Purgantium in emergenti ſæpiùs memorato quarti Variolarum Stadii. Judicat enim is rectè, eſſe Methodum hanc periculoſam, proin non adminiſtrandam, niſi aliis mediis tentatis in caſſum de ægro ſit conclamatum. * Imò verò metuebat, ne vel ſola Purgationis mentio plus mali adferret, quàm boni; propterea monens, non adhibenda eſſe Purgantia, niſi, quod Hippocrates [b] ipſe vult, morbo declinante. † Non, meherclè, ut rem paucis expediam, video, quâ fide [c] *D. Sydenhamium* in Methodi ſuæ advocet Patrocinium. Non quòd non Authoritâs hæc magnum habeat pondus, ſi vera eſſet. Et tamen non ullius Hominis authoritas, ſed Ratio, Natura, & fauſtus rerum ſucceſſus, Duces noſtri ſunt. Locus, quem citat ex Rhaze,

a. Comment. p. 90.

b. Conſ. p. 114. ſupra.

c. Comm. p. 87.

* Ut jam de ægro penè conclamatum videatur, duro huic nodo durus Cuneus aptandus eſt. Sydenham Sched. Monitor. p. 97.

† Ne injecta ejus rei mentio longè plus damni quàm emolumenti apportet, ægrum non eſſe purgandum, niſi faceſſente jam Morbo, &c. Ibid. p. 99.

d. Comm. in Hippocr. p. 88.
e. Comm. p. 87.

ze, [d] non ſaris eſt clarus pro ſua authoritate: de *D. Radcliff* [e] dubius valde ſum, an plus det quàm verba: quamdiu autem in hac ſum opinione, tamdiu ipſos hos celebres Viros numero Sectatorum hujus Methodi eximo.

De Purgantibus à *D. Freind* ſelectis, & aliis.

XXXV. Negotium hoc dimittere haud eſt conſultum abſque aliqua conſideratione indolis & naturæ Purgantium, quibus Nobiliſſimi hi Viri uti ſolent. Nullum unquam dextrè elaboratur Opus, niſi Inſtrumentis ad id idoneis; neque in opere tanti momenti, & circumſpectionis adeò neceſſariæ, impendi poteſt nimiùm diligentiæ. Niſi rationem haberem Virorum Nobiliſſimorum, ne mentionem quidem, quod fateor, facerem *Aloeticorum*, aut aliorum remediorum calidorum, amarorum; non certè *Salis mirabilis Glauberi*, aliorumve Salium; quandoquidem amara hæc & ſalina ingredientia ſunt Bilis, principii illius primarii & maximè activi, quod ægrum Variolis laborantem in ſummas præcordiorum anguſtias, diſcrimen ſummum conjicit. Patet vel inde, ut alia taceam, quantæ ſit neceſ-

ſitatis

ſitatis Ætiologia Medica. [f] Hanc qui negligit, non ullum dare poterit Medicamentum cum Ratione, vel ægro ſalutare. Stomacho ad incommoda ſubeunda facili, & ad multa ſufferenda difficili ſucceſſum optatum habere non poſſunt Medicamenta craſſiora, & ſcopo non, niſi largâ doſi, reſpondentia; qualia ſunt *Caſſia*, *Manna*, *Electuarium lenitivum*.

f. conf. §. 2. ſupra.

XXXVI. Certum hoc eſt, parvas exhiberi doſes à Nobiliſſimis illis Viris, quo ipſo tamen, meo judicio, duplicem errorem errant. Imprudentiæ eſt, & negligentiæ haud levis, aggredi hoſtem, provocare & exaſperare, nec tamen reapſe ſubigere, expellere, aut in eum redigere ſtatum, quo nocere ampliùs, aut turbas excitare poſſit. Non ignoro expreſſiones *blandorum Remediorum*, *blandorum Laxantium*, [g] ſuavitate ſua & lubrica dulcedine populo gratas, & frequentes admodùm; & certè prima ac præcipua Medici cujusvis cura debet eſſe, ut Operationes ejus benignæ ſint ſimul & ſecuræ, ſed & effectu ſalutares. Hoc ſi deſtituantur, non aliud ſunt, quàm Lenocinia, quæ nihil agunt, vel

De illorum Doſibus, & blanda Laxatione. De Purgantium Formulis, ab illis adhiberi ſolitis.

g. Comm. p. 122.

perperàm: & hæc eſt ſors Purgantium quorumcunque languidorum, frivolorum,& invalidorum.* Nec loci eſt, nec temporis, incommoda fuſiùs exponere,& damna optimis etiam temperamentis accidentia, quæ,ſi non illicò fortè, ſenſim tamen ac ſenſim, & ſucceſſù temporis, emergunt ex hac Praxi. Quàm ſpecioſo cunque veniant Medicamina titulo,operationes certè tales & effectus non poſſunt dici blandi: & concipi ſanè vix poteſt,quantopere poſſit infatuari vulgus, & quàm facilè ſpecioſis Verbis in enormes,& infauſtos abduci errores. Judico equidem, ſiniſtros talismodi operationum effectus unicam eſſe cauſam, cur nonnulli ſibi à Purgantibus adeò metuant. Nam maximas quasque turbas excitari à levibus Purgantibus, Stomachum nec benè, nec promtè transeuntibus, certum eſt. Talia enim vel non educunt materiam in Inteſtina, per hæc eliminandam; vel educunt quidem, ſed adeò lentè, ut hæc ſatis habeat otii ac temporis, ſubintrandi Vaſa lactea, & ſic per viam chyli transeundi ad Sanguinem, hunc gravandi,

* conf. §. 39. infra.

vandi, inficiendi, & toti Corpori innumera mala inferendi. Sunt prætereà Medicamentorum Formulæ admodùm inadæquatæ, ut Pillularum, quæ ut plurimùm duræ nimis, quàm ut à Stomacho diſſolvi queant, in hoc Morbo aliàs valde turbato & laboranti. Non ſanè ſilentio prætermittere poſſum præſcriptas in Commentariis *Pillulas Ruffi* ad drachmam dimidiam ab uno Nobiliſſimorum virorum, [a] quæ non efficiunt Sedes, niſi decem horis poſt ſtimulatæ *Electuarii Lenitivi* Drachmis ſex: & talem habent effectum, qui examen ſcrupuloſum nimis non fert. Exigua pariter Doſis Rhabarbari granorum XII. Puero exhibita [b] videtur, quæ prævidere quivis facilè poterat, languida nimis fuiſſe in ſua operatione. Et grana VIII. *Calomelani* cnm uncia dimidia *Electuarii Lenitivi* [c] caruit prorſus omni effectu. Dediſſet fortè *D. Freind* largiorem doſin, ſi ſuo arbitrio ſoli relicta fuiſſet cura. Sed adjuncti ipſi fuere bini Medici alii reluctantès, & Purgantia in Variolis reformidantes. In hoc mecum, quod confido, con-

a. pag. 123.

b. pag. 131.

c. p. 95. 96.

conſentiet quivis ſani judicii Medicus, eum, qui conſultum ducit purgare in caſu quocunque, id aut debere efficere ita, ut Medicamentum ſuo non careat ſucceſſu, aut omittere prorſus; exhibere remedia, quæ Corpus pertranſeant, aut nulla. Sed quoque adſit oportet prædiſpoſitio materiæ mobilis, & ad excretionem promptæ, ſi operatio ſecurè ſuſcipi debet; aliàs, ſub titulo eliminationis materiæ peccantis extra Corpus, deferetur potiùs ad ejus interiora, ad Viſcera nobiliora, cum irreparabili Sanitatis diſpendio. His omnibus addere conſultum judico, *Hippocratem*, * virum *D. Freind* tantopere celebratum abhorrere Purgantia, quæ vel languidè, vel nihil operantur, bilemque commovent quidem, ſed non educunt, tanquam ſummè nociva. Ægri ipſius judicium ſi audiamus, movebit is querelas haud modicas de languore, laſſitudine, mœſtitia, aliisve incommodis, quæ patitur ex debili Purgante: vegetus aliàs, agilis, & animo liber ex operatione ſtrenua, fiſtulam Inteſtinalem pertranſeunte. Sunt effectus

* περὶ φαρμάκων. Sect. 4. 5. Conf. ἐπιδημ. L. 5. §. 10.

fectus prioris non minùs infauſti, quàm poſterioris deſiderati. Eſt,quod ſcribo,res facti,& adeò conſtantis obſervationis, ut neminem latere poſſit, niſi qui duntaxat frivola propinant Purgantia.

XXXVII. Rectius de integro hoc negotio formabimus utique judicium, ſi pauliſper examinemus Relationes, quas Nobiliſſimi Viri conceſſerunt publico circa ſucceſſus Purgantium exhibitorum in propria ſua Praxi. Initium quidem faciam à Conſultatione, cujus expoſuit Relationem, dignam certè, quæ probè animadvertatur ab omnibus,qui Conſultationes amant. Optandum utique foret, ut omnium Medicorum intentio, ſtudium, & perfectio foret eadem,& ad bonum finem directa. Sed dantur negligentiæ aliorum & Paſſionibus ſubjecti. Eſt prætereà hæc Natio adeò in ſuis Studiis, Judiciis, Ætiologiis & Methodis diverſa, ut faciliùs quis præſtolari poſſit Picturam omnibus abſolutam numeris ab unitis laboribus Pictorum, quorum unus non utitur niſi paſtillis, alter coloribus oleo para-

Occaſionaliter de Conſultationibus Medicorum. conſ. pag. 128. infra.

paratis, quàm Morbi curam à duobus Medicis circa methodum & ſtudendi & medendi fortè magis adhuc diviſis. Nec ſperari quidpiam poteſt, quamdiu ſunt, qui veſtigia Naturæ ſpernentes unicè refugiunt ad Authoritatem. Inquiri omninò debent Morborum cauſæ, quæri Remedia mechanicè operantia, & Morbis adæquata, & ſic reduci Medicina ad formam Artis. In ſpeciali hac Conſultatione *D. Freind* Oratorem potiùs agit, quàm Medicum; tantâ rem tractans Sapientiâ & Eloquentiâ, ut ſi curari potuiſſet æger Rhetoricâ ſolâ absque remediorum * ope, rediiſſet certè ad Sanitatem. Attamen, non obſtante omni in dicendo facundia, argumenta pro Purgantibus, & contra ea, ita ſunt in æquilibrio poſita, ut ſi mihi contigiſſet agere arbitrum, neſciviſſem facilè, quò me verterem, argumentorum ex æquo militantium pondere perplexus ita, quàm unquam fortè in Vita mea; eodem nempe oculo ſi caſum aſpexiſſem, quo illi. Hoc

Examen Succeſſus Purgantium exhibitorum in Caſu deducto à *D. Freind*, & aliis. Rationes inde deductæ pro improbatione Methodi, quâ utuntur. De Caſu primo à D. Freind propoſito.

* Itaque ingenium & Facundiam vincere: Morbos autem non Eloquentiâ, ſed Remediis curari. Celſus in Præfat.

Hoc ingenuè confiteor, quòd poſtquam bini Opponentes adeò poſitivis declaraverunt verbis ſiniſtros ſemper ex Purgatione effectus, [a] decidiſſem liberè contra Purgantia, æquè ac contra Camphoram & Acida in Mictu Sanguinis in Variolis, nunquam non ex propria confeſſione funeſta. [b] Primum, de quo quidem convenerunt poſt longas lites, Purgans fuit *Sal mirab. Glauber.* ℥i. in *decoct. Senn. Gereon.* ℥iv. & *Aq. Cinam. hordeat* dr. vi. Nemo non videt, ex Medicamento adeò ſingularis compoſitionis, & amplæ doſeos, Stomacho ingeſto, mutari debere actionem principiorum ibi reſidentium quoad modum; ſed & Symptomata; & præter turbas, neceſſarios comites, tantam Evacuationem, qualem hoc Purgans cauſatur, inſignem quoque mutationem ſubeundam eſſe ab Oeconomia Animali. Sed quid quæſo auxilii attullit ægro tantæ molis remedium? Proximè ſequenti die *omnia in deterius ibant. Febriſque præſertim acriùs exarſit*, eò uſque, ut *veſperi ultra ſpem vitam traheret.* [c] *D. Freind* dum deſcribit

a. Comm. p. 81.

b. Comm. p. 115.

c. pag. 84.

bit ſtatum Febris illius diei, quòd *acriùs exarſerit*, terminis utitur, meo judicio, planè emphaticis; exprimens optimè effectum remedii tam acris,& *ardentis*, quale quidem eſt *Sal mirabile Glauberi*. Neque induci poſſum,ut credam, propoſitum fuiſſe hoc remedium à *D. Freind*. Sicubi tres Medici coeunt ad conſulendum, rarò admodùm fit, ut unitim conveniant circa Formulam, fortè in medium prolatam, quam equidem Harmoniam optarem frequentem,vel ordinariam. Et gaudebo maxumopere, ſi Animadverſio hæc ſuo haud deſtituetur effectu. Qui probe attendunt ad Relationem Conſultationis Freindianæ, illi de Cautelis adeò neceſſariis,quales nunc profero, parùm invenient. Ad ſucceſſum hujus Methodi Purgativæ ſi procedamus, fateor,conſideratione mutationis in deterius inductus, audacem nimis mihi videri illam, quàm ut ei ſubſcribere poſſim. Die 21.Febr. exhibitis 8. granis *Calomelani* cum *Electuarii Lenitivi* uncia dimidia ne unam quidem movebant ſedem. * Nec poterat operari plus

* Comm. p. 96.

plus doſis adeò exigua. Veſperi injectus fuit Clyſter, exiguo admodùm effectu. Secuta nox valde inquieta: Caput fuit valde turbatum; & videbatur ante fores ſtare pallida Mors. Nocte proximè ſequenti ex repetitis iisdem medicamentis ſecutæ fuere tres ſedes: manè ſequenti ceſſârunt Capitis & Nervorum Symptomata. Utcunque hic effectus allegari poſſit in favorem ſuſceptæ operationis, ab iis, quibus hæc methodus arridet, Pulſus tamen erat debilis, vires exhauſtæ, ut proximo die abierit æger ad plures. Non id volo, quòd alia remedia, aliud Purgantium genus, alia doſi exhibita, alium habuiſſent effectum: ſed id unicè, quòd ex hac Hiſtoria inferri nihil poſſit in favorem Methodi Purgativæ.

XXXVIII. Sequitur Caſus *Brownij* p. 98. ubi, obſervato debito honoris reſpectu, à *D. Freind* id expeto, ut animadvertat, ex granis 16. *Extr. Rudij* ægro exhibitis continuâſſe Delirium cum Convulſionibus magis, quàm unquam anteà. * Ita quidem, ut è re duxerit D. applicare Veſicatoria,

De caſu Brownij.

* pag. 100.

I toria,

toria, intendens ſecuturam Quietem. Sed durabant, non obſtantibus his, Symptomata in pleno ſuo vigore ad uſque manè diei ſequentis. His rerum circumſtantiis, quod ingenuè fateor, concipere non poſſum, cur, ſi rationi fuiſſet conſonum perſiſtere in Purgantibus, adhunc finem ſeligi debuerit medium tam exiguæ doſeos, & tantæ molis, quale eſt *Electuarii Lenitivi* uncia dimidia; neque miror, quidquid ſentiant alii, incrementa cepiſſe eâdem veſperâ Febrim, & alia omnia mali moris Symptomata, ab
† Comm. p. 100. exhibitione medicamenti. † Ita quidem, ut D. neceſſe duxerit confugere rurſum ad Veſicatoria. Aliquo temporis intervallo poſt, nocte, vires Corporis * duplici irritamento excitatæ ſimul & ſemel inſurgebant tanto conatu in hoſtem, ut intra quatriduum ſecutæ fuerint triginta prope dejectiones. Qui vel parùm attendit ad materiæ quantitatem, & vitioſiſſimam ejus putredinem, is videbit ſtatim, fuiſſe rem plenam periculi, violentam

lentam

* Ætas licet non ſit memorata, judico tamen ex eventu, fuiſſe Corpus juvenile robuſtum.

lentam adeò irritationem , ſepoſitâ curâ , num evacuatio viam inventura ſit ſalutarem , & futura prompta ſimul ac effectiva. De quo tamen nemo abſolutè poteſt eſſe certus. Manifeſtum hoc eſt, ægri reſtitutionem dependiſſe à quantitate adeò notabili materiæ dejectæ. Inſtruit nos hocce Naturæ monitum, quid agendum nobis ſit, circa methodi hujus juſtam adminiſtrationem.

XXXIX. Progredior nunc ad Relationes aliorum Virorum Clariſſimorum, *D. Freind* Sociorum, & ſanè deſiderarem, ut non minùs forent illæ claræ atque abſolutæ, quàm qnidem fuit examinata hactenus Freindiana. Nam ſic æqui quilibet & partium ſtudio non addicti judices vidiſſent facilè ipſi, & palpâſſent veritatem, nunc non, niſi aſſertis generalibus nixam. Non quòd ullâ ratione dubitem de Authorum candore, ſed quia Veritas quæcunque quò exponitur diſtinctiùs & fuſiùs, eò majori excipitur fiduciâ, & laudi magis cedit Proponenti. Non adeò clarâ luce fulgent res, ut certum & facile de iis poſſit formari judicium.

D. Freindij Relatio clara & diſtincta, ſed ſociorum perplexa & manca.

Sicubi diverſa fuere propinata remedia, non obvium fit ſemper, & perſpectu facile, cuinam ex illis debeatur effectus. Si Nobiliſſimi hi Viri diſtincti fuiſſent magis in Caſuum integra expoſitione, ſubſcripſiſſent haud ægrè Lectores, perſuaſi, id, quod adſcribunt Operationi tantopere ab illis decantatæ, reverà ei tribuendum eſſe, non verò quibusdam aliis remediis fortè exhibitis, vel & ipſi Naturæ operi. Non equidem tanta heîc eſt obſcuritas, vel implicatio, ut non paſſim extent veſtigia, quorum ope, ceu fili Ariadnei, nos ipſos extricare poſſimus: ſparſas paſſim videas, paucas licet, lucis ſcintillas, quæ proſpectum in interiora hujus methodi concedunt; Speciatim in caſu Nobiliſſimæ Dominæ, * tres paſſæ ſucceſſivè Variolarum inſultus, cum Exulceratione continuatâ omnium membrorum, ad diem uſque, quod perrarum, 28. ita quidem, ut nata fuerit, nec absque cauſa, ſuſpicio Gangrænæ. In hoc Caſu obſervo *blandum Purgans* exhibitum die 12. aliud die 15. & poſtmodùm per tridua vel quatri-

Caſus admodùm rarus trium ſucceſſivè inſultuum Variolo-ſorum.

* Comm. p. 125.

quatridua repetita Purgantia, ad finem uſque Morbi. Reſcirem lubens, num hic ipſe Medicus, qui repullulantes ternâ vice puſtulas fatetur eſſe admodùm raras, allegare poſſet vel unicum tale Exemplum, quod quidem contigerit ægris quoad remedia abſtemiis? noſſe pariter cuperem, annon ipſa ſucceſſiva Seminii Varioloſi ex primo Fonte exturbatio, & in Maſſam Sanguineam delatio, promota per blanda Purgantia, [a] fuerit Puſtularum repullulantium cauſa efficiens? continuò ex una & eadem ſcaturigine ſupplens materiam corroſivam, quæ cauſa fuit tam diu continuatæ, crudelis, & periculoſiſſimæ Exulcerationis. Tandem, annon unico Vomitorio, [b] dextrè loco Purgantis adhibito, die 12. feliciùs longè foràs è Corpore ejeciſſet copias Puſtularum auxiliares, & ſic finem morbo, ægroque Vitam conceſſiſſet, ſicque præcautum fuiſſet adeò violentis & diris Symptomatibus, quæ inſecuta fuere? Ita ſanè non ſubjiſſet periculoſum adeò examen conſtitutionis, quam habuit, firmæ, & robuſtæ, quæ ſola tot

a. Conf. §. 36. ſupra.

b. conf. §. 50. infra.

ægram tot tandem eripuit malis. Obſervat benè *Hippocrates*, [a] *exulcerari neceſſariò partes*, ubicunque prodit *Phlegma acribus humoribus mixtum*. Qui ipſe fuit Dominæ hujus Caſus, in quo, tanquam Schola, poterit erudiri Perſonæ Medicus, ſiquidem velit attendere ad ea, quæ in ipſo ſuo Opere docet D. Freind, & examini ſtudioſo omnia, quæ contigerunt, ſubjicere. Exemplum ſiſtit *D. Freind* [b] humoris Varioloſi adeò exceſſivè acris, qui cutim eroſit non aliter, ac ſi Oleum Vitrioli fuiſſet eidem affuſum, exulcerationibus inducendis promptior, quàm ullus alius, in Praxi obvius. Declarans inſuper, [c] *nullam prorſus Medicinam humores potentiùs avertere, quàm quæ Vomitum ciet*: ſubjungens, hujus *in revellendo vim ex hoc ſatis intelligi, quòd Coxarum dolores, atque Oedemata, ſæpiùs expugnet, aliis fruſtra diuque tentatis revellentibus.* Adeſt nonnunquam in Corporibus robuſtis tanta materiæ morbificæ copia, qualem vix ſuſpicari poſſunt, qui ſuperficiariam duntaxat habent Rei Medicæ notitiam; Hæc autem ſi foveatur,

a. περὶ φυσ. Sect. 16.

b. Comm. p. 130.

c. pag. 50.

veatur, & è primis viis ad Sanguinis maſſam Methodo Purgativâ promoveatur, non poteſt non exacerbare Variolas & Morbos alios, imò & prolongare ultra imaginabile tempus. Complacentibus intereà fortè ſibi & ægro & Medico, & in mutuam admirationem raptis, rerum actarum ignaris. Certum ſaltem hoc eſt, ægrum ſentire facilè, ſe deſcendere per plurium malorum ſcalam, & ægrotare ſeriò. Quum interim ſapiens & judicioſus Medicus, dum cauſam mali in fonte præhendit, & unâ vice educit, hac ſuâ promptâ & expeditâ methodo licet ægrum liberet, ut plurimùm parum reportet laudis, ſaltem non volat per ora Virûm, ac ſi morbum magni momenti debellâſſet. Hac enim methodo adeò parùm ſuffert æger, ut Medicus nihil egiſſe videatur. Quòd ſi fortè id habeat robur Corpus, eas vires Organa, ut ſe liberare ipſa valeant à Saburra, quâ adeò contra Rationis dictamen onerantur, & ſpeciatim in Variolis pellat eam ad ſuperficiem cutaneam, novas formando Puſtulas, ſalvatur hoc moli-

mine Vita; & mirum ſanè, quantos ſæpe conatus intendat Na.ura ad ſui defenſionem, in anguſtias coacta. Hoc nî foret, hæc, de qua impræſentiarum agitur, methodus longâ indigeret & defenſione & explanatione. Qui ritè perpendit hoc negotium, fatebitur lubens, Medicum, quo cum nunc mihi res eſt, vaſtos feciſſe progreſſus in arte Variolarum repullulandarum, ut nemo facilè ei palmam diſputare poſſit, & tamen eum adhuc præcellit Medicus extraneus, * qui pari modo, *frequentibus Catharticis blandis* efficit, ut Puſtulæ ſucceſſivè *per ſeſquiannum repullularint.* Quo tempore anceps prælium fuit haud dubiè inter Medicum & Ægri Naturam, donec tandem hæc victrix evaſit. Nîl eſt, quod adeò humanum reddit Hominem, & æquum de aliorum actionibus judicem, quàm quidem cognitio ſui ipſius, & conſcientioſum propriarum actionum ſcrutinium. Ceſſuræ ſunt & hæ adeò planæ animadverſiones in Medici noſtri bonum & commodum, ſi, quod ſpero, ad eas attendere dignabitur. Induet, de quo haud dubito, hic noſter

* D. Sidobre de Variolis p. 201.

ſter Medicus mitiorem paulò indolem, reductus ad æqualitatem cum ſuis coætaneis, quorum imaginaria authoritas reddidit eum Inventoribus longè ſeveriorem. Non quòd faventior multùm ſit ſuperiorum ætatum Medicis, etiam, optimorum quorumcunque judicio, æſtumatiſſimis & celebratiſſimis. Ita ſanè de *D. Williſio*, qui hactenus inter Medicos Europæ principem locum tenuit propter novas indagationes, & profundam Rei Anatomicæ, Pharmaceuticæ, & Medicinæ notitiam, id fert judicium noſter, quòd *ſuperfuerint ei verba, defuerit Medendi Scientia* * absque tamen quòd vel unicum imputationis adeò moleſtæ producat teſtimonium. Haud mitiùs tractavit Amicum meum optimum *D. Richardum Mortonum*, virum meritis, doctrinâ, & Experientiâ illuſtrem, cujus methodus † & medendi & ratiocinandi circa con-

I 5 flictum

* De Imperio Solis & Lunæ in Corp. Hum. Præf. p. 25.

† Mortonus, dum in committendis cum Veneno morbido Spiritibus Animalibus totus eſt, ita calidiſſimis Alexipnarmacis, copiis, ſi Diis placet, con-

ſlictum Spirituum Animalium & veneni morboſi in Variolis deridiculo eſt noſtro Cenſori, nuncupat per contemptum, an injuriam! titulo *Copiarum auxiliarium.* Qua tamen ratiocinandi methodo ipſe quoque uſus. Stylo tumido ſatis & haud uſitato multa nobis ipſe narrat de *Confuſione varias ſpecies Menti repræſentante*: inquirens porrò, *qualem nam Alterationem Corpus ſubeundam habeat à Veneno*, (Tarantulæ, de quo agit) & quàm *illa occaſionem det turbis & tumultibus in Fluido nerveo, unde oriantur in Parte infecta adeò miræ & tantùm non*
a. of Poi- *contradictoriæ repræſentationes.* [a] Lo-
ſons. p. 66. quitur pariter alibi de *Fluido nerveo*
b. Ib. p. 70. *Venenoſis ſuccis alterato:* [b] de *erroneo*
c. Ib. p. 64. *& irregulari motu Fluidi nervei,* [c] de
d. Ib. p. 65. *Tumultu & Confuſione Spirituum;* [d] de
e. Ib. p. 18. *Spirituum Secretione:* [e] & hujus generis plura alia. Imò verò, licet Notiones haſce & Theorias tanquam *no-*

vas

contra deleterium hoſtem auxiliaribus, aſſiduè pugnat, ut novas in Sanguine turbas cieat, & accendat, quam reprimere debuit, Febrem: Hinc illæ ipſæ, quas adducit, Hiſtoriæ palàm faciunt, pleroſque, quorum curam habuit, Ægrotos, aut excalefactos interjiſſe, aut ſaltem, ὡς διὰ πυρὸς, evaſiſſe. p. 120.

vas obtrudat, & *haud vulgares*, [f] mutuò tamen petiit eas ex iisdem, quos adeò indignè tractat, Authoribus, *D. Williſio*, *D. Mortono*, aliis. Solâ namque nititur authoritate, non ullum producens argumentum de exiſtentia *Spirituum Animalium*, vel *Fluidi nervei* in Corpore. Neque ex Anatome, neque ex ullò Phænomeno hactenus quidem in Natura obſervato produci poteſt ullum pro exiſtentia vel Spirituum Animalium, vel Fluidi Nervei, argumentum. Et tamen *Relatio* ab ipſo intitulata *Mechanica*, quam æquo jure *Muſicam* dixerit, quòd Mechanici nîl ei inſit, fundatur inprimis, hac vel hujus, vel *illorum*, Hypotheſi. Comparent, ipſo hodego, in quavis actione, officiove Naturæ. Ordinantur hæ copiæ, & ſigno dato educuntur in aciem. Et cur non concedit aliis eandem Libertatem, iis cumprimis, ex quibus hauſit & mutuatus eſt has loquendi formulas? Quamvis verò Diſciplina hæc militaris, Copiæ hæ militares, non ſint niſi mutuatitiæ, ita tamen ſe gerit noſter, ut eorum Authores nullo, vel minimo, habeantur

f. Ib. p. 19.

tur

tur loco. Haud facilè induci poſſum, ut credam,animum *D. Freind* eò tendere,ut deſpectui veniant Studia Philoſophica aut Medica. Verùm enimverò ſi irridere ſibi præſumſit *Commenta Philoſophica*, [a] & *Fabulas Medicas*, [b] vel impura quidem dictione perſtringere *Sermonem — inquinatum, & verborum quaſi Monſtra*, [c] nemo Lectorum non ſubſcribet lubens *D. Freind*: Sed ulteriùs progredior ad conſiderationem modi, quo Author tractat meritiſſimum de Medicina *D. Mortonum*, cujus methodum non duntaxat deridiculo habet, ſed expreſſis verbis condemnat, absque quòd interim alleget vel minimam rationem ſuæ ſententiæ. Accuſat *D. Morton*, ac ſi remediis ſuis *novas in Sanguine turbas cieat, & accendat, quam reprimere debuit Febrim*, [d] nec tamen in judicii ſui patrocinium proponit vel leviculum aliquod argumentum hujus illiusve naſcituri incommodi. Quum è contrà res ſit facti, & Experimentis conſtet, [e] propriam ſuam Methodum Purgativam præſtare utrumque; adeóque *D. Freind* eidem ſe exponere

a. Præf. p. XI.
b. Ibid.
c. Ibid.
d. v. Loc. ſupra.
e. v. D. Freind Comm. p. 145. 146.

ponere accuſationi juſtæ, cujus notas abſque ratione inurit *D. Mortono.* Infert porrò, ex ipſius *D. Mortoni Hiſtoriis*, quarum ne unicam quidem in medium profert, *palàm fieri, pleroſque, quorum curam habuit, Ægrotos aut excalefactos interiiſſe, aut ſaltem* vel via ὡς διὰ πυρὸς, ſummo vitæ periculo *evaſiſſe*, [f] mutuans ſacratiſſima D. Pauli [g] verba ut ſtringat Adverſarium, & riſu eum exponat. Mihi perinde videtur, *Turbas in Sanguine* excitari, vel *Febrem accendi* ab *Alexipharmacis*, an *Purgantibus*, à Phantaſia ſuggeſtis. Omnis in hoc conſiſtit differentia, quòd eadem res effectui detur, per purgativam Methodum, citiùs, evidentiùs & violento magis modo. Num via *Excalefactionis* potior ſit vel *Exulcerationis*, Quæſtio eſt delicata nimis, quàm ut ei decidendæ operam locem. Perſtringit alibi cenſurâ rigidâ ſatis & malè fundata totam Facultatem Medicam ſine diſcrimine; remonſtrando, [h] *non uno modo torqueri jam Ægrotos, & incertum ſæpe eſſe, quinam ab ipſo Morbo ducerent originem Dolores, quoſve af-*

Conf. ſupra.

f. vid. Loc. ſupra.

g. 1. Cor. III. 15.

h. p. 59. 60. de Imper. Sòlis & Lunæ.

ferrent

ferrent ingeſta perverſo more Pharmaca. Utcunque hoc videatur aliis,perſuaſus ego firmiter ſum,vel ex eo ſolo, quod ipſe ſcribit, nemini *incertum* id videri vel abſtruſum,qui quidem ejus Methodum Medendi conſiderare dignatur. Sed pergo; occaſione modi, quo *D. Freind* alios Medicos tractat, in memoriam mihi revocans *Theſſalum*, unum ex Veteribus Medicis, *delentem cuncta Majorum placita: & rabie quadam in omnis ævi Medicos perorantem.* [a] Cujus memoriæ conſultum foret, & tanti Viri prærogativæ ſalvæ, ſiquidem boni quid de eo reliquiſſent Scriptores Veteres, & vel unicum Remedium ab eo inventum ad nos transmiſiſſent, vel unicam detectam veritatem, vel ſervitium Vitæ Humanæ præſtitum ullum.

a. Plin. Nat. Hiſt. L. XXIX. c. 1.

Caſus inſecuti Sphaceli.

XL. Sequens proximè caſus ſpectat Juvenem [b] 11. annorum,qui 9. die incidens in ſedes tres Medico indicabat Purgationem; ſcrupulus unus *Rhabarbari* exhibitus ejusdem diei veſperâ quater movit inſequenti proximè die. Eadem doſi repetitâ die 11. dejectiones habuit 5. & aliâ die 12.

b. Comm. p. 130. 131.

exhibitâ 3. Die 13. aucta doſis ad drachmam ſemis purgabat quinquies. Die 14. dejecit bis. Quomodo interea temporis ex continuata Purgatione ſe geſſerit æger, ſilentio ſupprimit prorſus Relator in conſilium vocatus cum Medico, quo cum rem habui in præcedenti paragrapho, & cui ubique applaudere videtur; circa geſta binorum dierum ſequentium, 15. & 16. magis explicitus, teſtans, transegiſſe hos ægrum maximo incommodo, & pervigilem; [c] id quod Naturæ & Rationi maximè convenit. Nil prorſus inde, inquit, remiſit Febris, ſed potiùs magis fuit accenſa; nam elevatus Pulſus, [d] ut communiter accidit poſt Purgantia; [e] inprimis verò, ſi multum vitioſæ Bilis, reſolutæ, & attenuatæ in Sanguinis maſſam tranſiit. Hunc in Sanguine hoſpitem comparat *D. Freind* [f] *Oleo Vitrioli*, & rectiſſimè, nam ab eo parùm differt, vel nihil. Maximas ſanè ſtrages & deprædationes Humanæ Naturæ infert Sal, quod omnes meæ Obſervationes & Experimenta Vitriolico adeò ſimile, vel vicinum, teſtantur, ut vix ullo modo ab hoc

c. Comm. p. 131.

d. pag. 132.

e. conf. §. 33. 34. ſupra.

f. p. 130.

hoc Sale acido diſtingui queat. Animadvertant hoc ante AcidorumPatroni,quàm in ſua methodo ultrà pergunt. Vitriolum quoniam eſt inſigne corroſivum, ad deſtructionem & diſſolutionem partis cujuscunque tendens, ſi redundet,& infigatur,nemini videbitur mirum, quòd proximo die 17. Pedis ima pars ſphacelata fuerit ad os uſque, quantum quidem ex aſpectu judicari potuit. *Neque* tamen, ita pergit Relator, *Caſus hîc ſatis acerbus nos ab inſtituto noſtro deterruit: nam quamquam, ſi ſphacelum ſpectemus, nulla magis aliena videatur medendi ratio, quam quæ Purgatione inſtituitur; tamen cùm virium redintegratio in eo jam erat ſita, ut modicè flueret alvus, non fuit, quòd ſuperveniente etiam Sphacelo, ab hoc auxilii genere deſiſteremus.*

* pag. 132. * Rectè, ut quidem oportebat,eodem Purganti, quo Sphacelus fuit inductus, tollitur idem; ſicuti frigus frigore pelli dicitur. Quemadmodum idem Medicus, qui in conſultationem vocatus procul dubio primas tenuit, in *Diſcurſu de Venenis* contendit, Viperæ carnem & pinguedinem ſalutiferam

feram eſſe & Alexipharmacam, [a] pari modo, quo alibi Sanies hujus Animalis noxia redditur ac venenata. [b] Ita eodem aſſerente [c] Carnis comeſtio præſervativum eſt ſecurum contra Peſtim, quam eandem paulò ante [d] cauſam dixit ipſius hujusmet Morbi. En igitur Virtutem in præſcribendis Medicamentis omni & Symptomate & periculo invictam! En Medicos binos Heroas æquales futuros *Herculi* & *Theſeo*, ſi de proprio, non alieno, luſiſſent Corio! Sed placuit duntaxat

— magnum alterius ſpectare Laborem [e], & re transacta
— tuâ ſine parte Pericli [f].

a. p. 29. 34.
b. p. 54.
c. p. 174. 175.
d. p. 173. 174.
e. f. Lucret. l. 2.

Ægris certè potiùs, quàm Medicis hiſce, quantum ex relatione geſtorum judicare licet, continget locari inter Heroas illas, inter Sidera. Maxima felicitatis laus debetur forti conſtitutioni juvenis, qui, aliis infauſtâ ſorte pereuntibus, evaſit naufragio. Mentionem facit *D. Morton* [g] cujusdam Varioloſi, cui *alvum decocto amaro leniter ſubducendam juſſerit — At inde — Calor becticus augebatur, donec tandem*

g. Morton. de Variolis. p. 480. 481.

dem Claviculâ, Oſſe Humeri & Tibiæ ſiniſtræ à Veneno latitante Carie affectis &c.— atroci dolore partium obierit. Et tamen hoc Purgans non fuerat exhibitum, niſi poſt diem 20. Variolis namque nec prodeuntibus, nec, uti decebat, in puſtulas elevatis, remanſerat maxima vitioſæ materiæ pars in Stomacho & Inteſtinis, quæ ipſa Purgantis ope ad Habitum Corporis protruſa, ſiniſtros hoſce produxerat effectus. Refert idem alium caſum [a], qui exhibito *leni Cathartico* illicò ruebat in pejus, ſuperveniente mox *horrendâ* Gangræna [b] in *Maxilla* inferiori, & *Crure* ſiniſtro, quam nulla Ars vel Medica, vel Chirurgica ſuperare valuit, in Mortem terminata. Movebant hujusmodi Obſervationes, & triſtes Purgantium ſequelæ, Nobiliſſimum Virum, [c] ut jam ante 20. & quod excurrit annos [d] cautelas proponeret obſervandas circa hanc Praxin; quod temporis intervallum longum nimis eſt, quàm ut ignorari poſſit. Sed multis Seculis ante cenſoriâ virgulâ perſtrinxit Purgantia Divus *Hippocrates* in Sphacelo; mentionem faciens ægri in

a. Ibid. p. 482.

b. Ibid.

c. Ibid. p. 319. 320.

d. A. 1694.

in Coxendicis Sphacelum tendenti, cui duo Purgantia fuerint exhibita, mortuo paucis à ſecunda doſi horis. Sapientiſſimi Viri judicium in hoc caſu fuit, *viſum* fuiſſe ægrum in tali ſtatu, quo *diutiùs protrahi* potuiſſet morbus, niſi vitæ filum fuiſſet *Purganti abſciſſum.* [a] Præferens in Sphaceli periculo, ſpeciatim Cruris, qui fuit ipſe Caſus Medicorum noſtrorum curæ ſubjectus, Vomitoria ex *Helleboro*, [b] albo nempe, interpretibus optimis *Galeno* & *Fœſio*, utpote tunc uſuali pro Vomituritionis ſcopo. Improbat *D. Freind* in quarto ſuo Commentario *Vomitoria* ſpeciatim *valentiſſima* * in Pleuritide, utpote *contraria Præcepto Celſi.* † Quum tamen valentiſſima Vomitoria exhibita fuerint periculoſis maximè Pleuriticis ſecuriſſimè, cum εὐφορίᾳ ſimul & ſalute ægrorum, quæ probabiliter absque operatione hac ſalvari non potuiſſet. Contra ponere utique potuiſſet *D. Freind* Authoritati *Celſi* Authoritatem *Hippocratis,*

* Comm. p. 50.
† Ibid. p. 50.

a. Ἐδόκει δ' ἂν πλείονα χρόνον διενεγκεῖν, εἰ μὴ ὑπὸ τοῦ φαρμάκου τὴν ἰσχύν. Ἐπιδημ. V. 7.

b. περὶ Ἀγμῶν. §. 12.

pocratis, qui & in *Pleuritide*, & *Peripneumonia* exhibuit ana [a] *Hellebori albi*, *Thapſiæ* & *Elaterii*, *Vomitoria*, *Bartoletti* judicio in hunc *Hippocratis* locum dudum lato, *validiſſima.* [b] Sed & ipſe *Celſus*, ſi omninò conſtituendus ſit in Judicem, quàm longè à Medicorum noſtrorum mente abeſt. Agens namque de Gangræna vel Sphacelo conſulit * *adſtringentia* & ligantia, in quo generatim ſequaces habet Medicos quosque & Chirurgos, ad noſtra uſque tempora. Vellem equidem, ut conſiderarent, de quibus impræſentiarum, Medici, quid dictet Natura vel Ratio, quo niti poſſit Praxis & huic & illi adeò directè contraria. Verum quidem eſt, dari, qui, quo jure? nunc non inquiro, lene Cathartiticum præmittunt Adſtringentibus; verùm perſuaſus ſimul ſum, vix inventuros eſſe hos Practicos vel unicum in tota Hiſtoria Medica Exemplum continuatæ Purgantium, qualem hi præſcribunt, ſeriei. Caſum præſentem aſpicio ſimpliciter ut Gangrænam,

* Celſus L. V. c. 26. §. 34.

a. περὶ Νούσων. L. 5. §. 17. Conf. etiam §. 6. & 9.
b. Bartoletti Method. in Dyſpnæam L. V. c. 12. p. 513.

nam, ſed eundem implicatum magis reddunt, & Praxin ſuſpectam, Sociæ Variolæ, cogitâſſem autem, Symptoma adeò grave & periculoſum ex Praxi adeò inuſitata (mitioribus verbis utor) ortum ſiſtere debuiſſe gradum, & ab omni progreſſu Methodi Purgativæ ulteriori abſterrere. Inferre poſſem plura ex propriis illorum & Medicorum Relationibus, niſi, quæ dico, ſufficerent. Silentio prætereo declarationes & aſſerta circa eam, quæ ipſis adeò placet, methodum, & id duntaxat infero, pauca illa, quæ luci exponere illis lubuit, manifeſtè contraniti Praxi illis uſitatæ; ut apertis oculis videre liceat Errores & incommoda, quæ inde fluunt. Licuiſſet autem exactius introſpicere interiora negotii, ſiquidem Declarationum vice conceſſiſſent nobis integram rem facti, cum omnibus circumſtantiis, ad imitationem *D.Freind*. Aſt nullus dubito, vix potuiſſe illos abſtinere à plenaria omnium circumſtantiarum explanatione, ſi fuiſſent eæ Syſtemati firmando idoneæ. Adeò illi depereunt ſuam Hypotheſin, ut nec occul-

tâſſent, nec reticuiſſent circumſtantias ſibi quoquo modo faventes. Neminem lateret error, ſi quem commiſiſſem, circa interpretationem Hiſtoriæ,& judicium illis adeò contrarium. Fui, quod aſſerere audeo, circumſpectus,quàm potui, in contemplatione rei, & optimâ fide formavi, quod dedi, judicium.

Indicium bonæ methodi haud fuiſſent, etiam felix, ſi fuiſſent, Morbi eventus, quoniam exempla præcipua deſumuntur ex Ætate infantili, quæ minori longè periculo eſt expoſita in Variolis, quàm quidem adulta.

XLI. Fuiſſent, quod inſuper moneo, exempla, ſi quæ habuiſſent Purgantibus in Variolis faventia, (ut ſunt potiùs diametraliter huic Syſtemati oppoſita) nihilominùs deluſiva, nec decidiſſent, quod eſt in quæſtione. Obſervare poterant facilè, quod neminem vel obiter rem contemplantem latere poteſt,rem ſibi fuiſſe cum Infantili ætate & juvenili. Exceptis duabus Fœminis 30.annorum vel 40. nullus reliquorum ægrorum pervenit ad maturam vel conſiſtentem ætatem. Nuncupantur *Pueri, Puellæ, Juvenes*. Ætates,quæ exprimuntur,ſunt 5.11.13.17. annorum, & ſumma 18. Quum certè veriora tentamina,& bonæ Methodi teſtimonia, peti debuiſſent ex Ætate conſiſtenti; nemo

quip-

quippe non novit, Variolas in infantili ætate, vel juvenili eſſe longè minùs periculoſas, quàm in adultiori; adeò quidem, ut plerumque evadant illi, etiam abſque Medicamentorum ope, modò debitum obſervent Caloris, Frigoris, & Diætæ regimen. Sunt illorum Corpora in Vigore, & partium augmento. Organa ut plurimùm magis expedita, ab Obſtructionibus & aliis impedimentis liberiora. Materia morbifica minùs vitiata, minùs exuberans, nec adeò tumultuoſa, faciliùs ſubigenda, magis intra Sphæram activitatis Medicinæ, ſi qua eſt opus. Non ſunt Infantes, ſicut adulti, apti ad exſcreationem, ut Phlegma, aliave materia vitioſa non facilè ſurſum ferri, & ſputo excerni poſſit. Neque iidem ſubjecti adeò ſunt Ventris Conſtipationibus, Inteſtinorumve obſtructionibus; unde huic Ætati eſt Diarrhœa adeò frequens, tantò magis, quòd Inteſtina motibus Naturæ faciliùs cedant, utpote magis ſenſitiva Diminuta autem Reſiſtentia & conflictu diminuitur periculum. Obſervant ipſi, quibus cum nobis res eſt,

Infantibus Diarrhœa, & per conſequens Purgatio non adeò eſt noxia, uti Adultis.

* pag. 117. 127. Medici,* Diarrhœam Infantibus Varioloſis eſſe ſalutarem potiùs, quàm aut noxiam, aut periculi ſuſpectam. Inde illis ipſis inferre facile eſt, Purgantia longè minùs periculi ſecum ferre in Infantili, quàm adultâ, ætate, ſpeciatim virili. Fœminarum namque Corpora, ut plurimùm molliora, delicata magis & tenera non tantum ferunt vitioſorum humorum onus, quantum Virorum, inprimis ſi firmioris ſint compagis; hinc eſt, quòd Fœminarum Corpora plerunque ſint liberiora,& magis immunia. Ipſa quoque Natura vias in hoc ſexu invenit, quibus ſe liberare poſſit, quas fruſtra quærit in Virili. Sunt prætereà Fœminæ ut plurimùm ſenſitivæ, & ſui obſervantes, nec non dextræ ad auxilia ſibi ferenda, magis quàm viri. Non conveniebat proin Medicis illis, exempla producere unius alicujus Fœminæ, vel duarum, aut paucorum Infantum, vel puerorum, ſed Virorum adultorum, ex quorum ordine ne unicum ſiſtunt Exemplum. Per conſequens, etiamſi illorum Methodus ſucceſſiſſet ex Voto in allegatis caſibus,

De ſexu fœmineo adulto.

caruiſ-

caruiſſet vi argumentum, nec collimâſſet ad ſcopum præfixum.

XLII. Obſervandum inſuper, facta fuiſſe Experimenta, quantum quidem judicare licet ex Relationibus aliàs defectuoſis tempore maximè opportuno; hyemali nempe, vel ſub initium Veris. Non me morantur Menſes, niſi *Januarius, Februarius* & *Aprilis*. Aſt neminem latet, pejoris longè eſſe moris Febres, ſi non æſtivas, certè Autumnales; quarum proin Exempla in medium proferre conveniſſet: Fuiſſent hæc Anni tempora Tentaminibus magis propria. Pertinaciter inhærere nolo, adhibitam fuiſſe ſemper dictis Anni temporibus, nec alio, licet alius non fiat ulla mentio: quòd ſi verò ſuppreſſerint ſtudio Caſus calidorum temporum, & Virorum adultorum, quia nullos habuerunt, & omnes alii hac methodo tractati calidiori Aeris conſtitutione, vel ætate virili infauſtum experti fuerint exitum, nobiſcum certè non adeò bonâ fide egiſſe dixerim. Fuere, quas adeò extollunt operationes, ſi quæ ſucceſſerunt, non Artis productum,

Methodus hæc adminiſtrata tempore frigidiori, & magis faventi.

 ſed

ſed Temporis & Caſus, Tempeſtatis Anni, & ætatis teneræ beneficium. Valent vel binæ hæ ſolæ circumſtantiæ, ſi concurrant, vitam ſalvare ægro, quam aliàs perderet perverſa Methodus. Concedent facile illi, vix ſolidum formari poſſe judicium circa caſus quoſcunque, non ritè in omnibus ſuis circumſtantiis expoſitos; nunquam autem ſpeciales nimis & diffuſi eſſe poſſumus in re tanti momenti, qualis eſt vitæ pretium. Judicium generale nimis & ſuperficiarium indulgentiâ erga novam quandam Methodum nimiâ eum habebit ſemper effectum, ut alii rem totam novo ſubjiciant examini, & exactiori quidem, quàm illi ipſi inſtituiſſe videntur.

Magnifica horum Medicorum de ſua Methodo opinio.

XLIII. Utcunque ſit, Authores illi adeò magni faciunt hanc ſuam Medendi Methodum: ut eam tantùm non ad ſidera extollant. Narrat nobis,[a] qui Camphoram adhibuit & Acida, ſe *Phlebotomia & Purgantibus eripuiſſe multos ex faucibus Orci.*[b] Utcunque ſe habet alibi Stylus ejus Latinus, quo alibi utitur, diffiteri tamen non

a. Comm. p. 118.

b. conf. §. 29. ſupra.

non poſſum, adæquatam valde eſſe hanc Poeticam phraſin, *Orci faucibus ereptos.* [c] Alius, quem inprimis notavi, totus quantus eſt in deprædicanda hujus Methodi præcellentiâ, oggerens nobis *quotidianam Experientiam, Exempla innumera*, ex quibus ipſi lubuit *pauca ſeligere.* [d] Perſuadebit ſibi facilè quivis, *ſelecta* adeò viſa fuiſſe omnium maximè ſcopo congrua, reliqua minùs eidem adæquata prudenter omiſſa. Adeò *pauca* nobis offerunt Exempla, ut Medici quini Caſus duntaxat recenſeant undecim, quibus ſupervixere quidem ægri, non tamen, quod certum, ope hujus methodi recuperatâ ſanitate. Affirmat memoratus ultimò Medicus, quo jure, alii judicent, hanc *Medendi Viam*, (ita Methodum baptizare lubet) *ceſſiſſe ita feliciter*, *ut* in notoriâ Relationis ſuæ clauſulâ *humani generis intereſſe putaverit, ut illa publici juris fiat.* [e] Imò verò, expirato licet cenſendi Libros termino, præfixa in frontiſpicio hujus Libri comparet Licentia, authoritate trium ex his ipſis Medicis, eo anno Cenſorum Collegii Medici, nixa, qua

Librum

c. Comm. p. 118.

d. Ibid. p. 123.

e. p. 127.

Librum hunc, *D. Freind* & proprios ſuos labores oſtentantem, *digniſſimum cenſent*, *qui in lucem prodeat*. Neque ullam faciunt hi Artis Medicæ Reformatores, ſiniſtri alicujus eventus mentionem; qualis, ſi fuit, ſucceſſus ſui ſimilem habuit in nullâ unquam alia Methodo, nec habebit in poſterum. Non reticet *D. Freind* * pro honore *Hippocratis*, & demonſtrando ejusdem Candore, ex 42. febricitantibus ejus curæ ſubjectis, propriâ confeſſione teſte, mortuos fuiſſe 24. Attamen *D. Freindio* tanti, & jure, ſit Magni *Hippocratis* magna & Scientia & Sagacitas, ut Acutarum Febrium curandarum Indicationes, ſi non conſtarent aliunde, vel ex ſolis ejus Scriptis innoteſcerent. † Aſt hoſce Medicinæ Reformatores *Hippocrate* dixeris longè ſuperiores, & omni modo eminere veluti lenta inter viburna Cupreſſos, ſi evaſerunt ſine diſcrimine omnes hac ſua methodo tractati; vel doloſè in re tanti momenti nobiſcum agentes, candore omni poſthabito, ſi, quod ſuo tempore planiſſimè, ut ſpero, apparebit, aliter ſe res habuerit, quam qui-

Nulla ſiniſtri ſucceſſus mentio: Salvati omnes tractati hac Methodo; ſi fides eſt penes Authores, certè non penes alios.

* Comm. p. 10.

† Ib. p. 10.

quidem illi ſcribunt. Occultatio talis ex una, & immodica adeò Panegyrica ex altera parte inducere facilè poſſunt Practicos alios in viam ancipiti periculo plenam, & Methodum novam quidem, ſed nec Rationi nec Saluti ægrorum congruam. Eſt hæc unica & vera cauſa, quâ impulſus, quâ adeò ſolicitus ad ſpecialia deſcendi, & Conſequentias ponderavi.

XLIV. Methodus hæc Medendi Variolis ſi adeò fuit & realis, & univerſaliter ſalutaris, digna fuiſſet dudum publicatione; eo præſertim tempore, quo immiti huic malo in ſacrificium ceſſit innumera extra ordinem hominum multitudo. Ex Schedis namque Mortuorum anniverſariis conſtat, objiſſe Variolis vergente nuperâ Æſtate, & in Autumno 60, 100, imò 125. ſpatio unius hebdomadæ, & per totum annum 2427. Hinc nemo non videt, non deſiiſſe ſævire Variolas, nec decreviſſe numerum hoc malo demortuorum, ex quo nova hæc Praxis fuit exorta. Hujus Æram ſi rejiciamus ad Annum 1709. quo lucem viderunt Commentarii, patet ex Sche-

Nuperæ Variolæ infortunatæ.

Schedis mortuariis, objiſſe eo Anno Varioloſos 1024. ſequenti proximo anno 3138. præcedentis numeri plusquam triplum; & certè vix credo, vel ante, vel hinc ab illo tempore tot objiſſe, quòt tunc; quo Anno viguit inprimis illorum Praxis, quantum quidem judicare licet ex Commentariis; de quibus conquerendi plusquàm ſemel anſam habui, quòd *Freindianis* exceptis reliqua non alium mereantur, quàm Rhapſodiarum, titulum; adeò ſunt confuſanea, & neceſſariis circumſtantiis orba. Ex Anno 1709. unicus adeſt Caſus. Reliqui omnes incidunt in 1710. quo omnium demortuorum numerus ſurgit ad 24620. & Varioloſorum, ut modò inſinuavi, 3138. id eſt, plus quàm $\frac{1}{8}$ totius Summæ, incluſis licet Abortibus, morte naturali ſenili conſumptis, item caſu extinctis, aquâ ſuffocatis, violentâ morte extinctis, carnificis manu occiſis, & numero eorum, qui Phtiſi, Convulſionibus, aliisve morbis perierunt, additis. Res, licet vera & fida, vix ob enormem ſingularitatem credibilis. Vel exinde ſaltem patet,

tet, non deeſſe nobis rationes inquirendi in cauſas adeò extraordinariæ ſtragis, & tanti mali remedia. Verùm enimverò, Medicis his præceps adeò & exorbitans incrementum numeri Varioloſorum, inde à novæ Methodi Epocha demortuorum non allegantibus pro argumento felicis ſucceſſus in ſua Praxi, non inſiſtam ulteriùs ego probationi in contrarium.

XLV. Certum hoc eſt, *Londini* Morbos inde ab aliquo tempore increviſſe & numero, & violentiâ. Elapſo ultimo octennio Variolis obierunt 14928. Octennio præcedenti, ſive, à Seculi exordio ad Annum 1708. incluſivè duntaxat 8386. qui numerus non multò major eſt prioris dimidio; ut proin exceſſus poſterioris octennii ſupra prius ſit 6542. Sunt Morbilli quàm proximè, uti fuerunt ante. Sed increvere generatim & valde Febres, quandoquidem exceſſus mortuorum febricitantium in ultimo octennio ſupra prius ſurgit ad 4839. Petechialium Febrium incrementum aſcendit ad 757. & Purpuratarum eſt fere duplum. Sed quoque accreſcit quo-

Morborum incrementum in Metropoli Angliæ.

quotidie numerus incolarum hujus Urbis,novis ſemper accedentibus Familiis,& ſedem heic figentibus,ut numerus natorum increverit ad 2503. ſed exequiæ ad 13554. Qui numerus quum major ſit ratione 5. ad 1. conſectarium dat Mortalitatis mirum & ſtupendum in modum adauctæ. Ii ipſi, qui debitum Naturæ nondum ſolverunt, generatim infeliciores vivunt & infirmiores, ut omnino multiplicentur & querelæ hominum & Morbi. In omnium ferme ore, Virorum, Fœminarum, Infantium ſunt, præter Luem Veneream, frequentiorem nunc, quàm unquam ante, Affectus Hyſterici, Incommoda Capitis, Hypochondriaca Paſſio, Melancholia, Laſſitudines, Languores, Febris ita nuper nominata Spirituum, Affectus Nervoſi generis,& Stomachi,Colica, Dolores Dorſi & Lumborum, & plurima alia Mala,quæ innumeris querimoniis anſam præbent. In negotiis ſuis & actionibus nemo non impeditur; interrumpi commercium Hominum neceſſe eſt: oneri fit Vita, quæ ſæpiſſimè traducitur miſera. Non poteſt

teſt non hic malorum accreſcentium cumulus, hic Mortalitatis torrens, multùm faceſſere negotii iis, qui hæc attento conſiderant animo. Noſtrûm omnium intereſt, huic Torrenti obicem ponere; vult id, & clamat, altùm, Salus, Felicitas & Securitas Populi.

XLVI. Scopo huic nil magis eſt conveniens, & Gravamini tam magno & univerſali tollendo adeò opportunum, nil tanti momenti, quàm quidem ſtudioſa in cauſas inquiſitio. Haud equidem eſt hujus loci, profundiùs, ut decet, examinare hancce materiam, non poſſum tamen non, compaſſione motus erga languentem Patriam, intimare præcipuas tantorum & tot malorum cauſas, quæ inprimis reducuntur ad duo capita. 1. ad Errorem in Diæta, & ordinario Vitæ Regimine 2. ad Errorem in adminiſtratione Medicinæ. Ejus cauſæ.

XLVII. Conſiſtunt errores noſtri in Diæta ex parte in ejus natura & indole, nimio Aromatum uſu, acribus condimentis, Muriaticis, ferculis noviter inventis, Coquinaria nova, ab Exteris Regionibus, ingenti quidem 1. Error in Diæta, & Vitæ Regimine.

L varie-

varietate & numero, per ultimorum 30. Annorum decurſum, ad nos translatis: in frequenti nimis uſu Chocolatæ, Caffé, Limonati, Potus nautici *Punch* dicti; inprimis etiam Theæ, exceſſivè per totum nunc Regnum, qua latè patet, potari ſolitæ; neglectu eorum, quæ Patria noſtra profert, meliora & ſalutaria magis, profuſione noſtri Theſauri, ejusque ad remotiſſimas quasque Regiones exportatione; vel in utiliſſimarum noſtrarum rerum commutatione cum inanibus nugis exteris, quinimò pernicioſis maximè mercibus. Alieniſſimi ab hujusmodi condimentis & Liquoribus peregrinis erant Sapientes noſtri, virtuoſi, magnanimi, & robuſti Majores. Illis inducta Intemperantia, & Guloſitas, per conſequens &, temporis ſucceſſu, Indigeſtio: Liquoribus allectus continuò Appetitus, oneratus ſemper Stomachus: crapulâ hac, indigeſta mole, & vitioſâ Stomachi ſaburrâ in Sanguinem translatis inundata omnia Viſcera, cum toto Corporis habîtu. Hinc illæ Lacrymæ, hinc increſcentes magis & magis Calculi, Podagra,

Rheu-

Rheumatiſmi, Affectus nervoſi, & innumeri alii. Accreſcenti huic indies Guloſitati debetur multiplicatio Cupedinariorum hujus Urbis, ad decuplum fortè inde à paucis annis; quorum Tabernæ & Officinæ ſplendidiores ſunt & pompoſiores, quàm plerorumque aliorum Mercatorum; iis fortè exceptis, qui eidem ingluviei fovendæ inſerviunt, ut ſunt Piſtores dulciarii, Oenopolæ, Liquorum Spirituoſorum deſtillatores, Cereviſiæ caupones, Diſpenſatores potuum Coffé, Theæ & Chocolatæ, harumque mercium Negotiatores. Hujusmodi Artium, quæ Luxuriei velificantur & Intemperantiæ, conſectaria ſunt omnis generis Vitia, & Morum corruptela; Atheiſmus, Impietas: Paſſiones pravæ, Simultates, Contentiones, Factiones; Studiorum, Negotiorum, & Meditationum ſeriarum ſimul & utilium neglectus; Temporis vana conſumptio: Ignorantia: Stupiditas: Paupertas: Cordolia: Omnis generis Morbi. Longa adeò & infauſta malorum ſeries longiori, quàm quidem nunc mihi conceditur, indi-

get tempore. Quemadmodum *ſine Cerere & Baccho friget Venus*, * Vitâ frugali Temperantiæ & Modeſtiæ porta aperitur, vitiis clauditur; ita è contrà vitâ molli, effæminata, luxurioſâ omnis generis incentiva ad innumera vitia. Hoc eſt, quod quisque animadvertere poteſt in ſe ipſo, & plusquàm ſatis in aliis, ut non opus habeam ullâ ulteriori probâ. Animati tot deliciis homines & accenſi redduntur audaces, procaces, tumidi, inſolentes, ad facinora quævis perpetranda proclives. Si vita hæc tranſit in habitum, obruuntur & onerantur Viſcera, atque ad proprias ſuas Actiones & officia redduntur prorſus inepta. Ipſas Cogitationes, quatenus ab his pendent, pro ratione depravatorum Salium bilioſorum, & vitioſitatis organorum corrumpi & labefactari neceſſum eſt. Neceſſum, ut Intemperantiæ pediſſequæ ſint Fatuitas, Stupiditas, Seriarum Meditationum, & Ratiocinii ſubacti defectus. In hac Scena nullibi, vel raro, comparet Philoſophia, & Eruditio ſolida. Pulveribus

* Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. Achill, Tatius L. II.

bus obſiti jacent Libri, inania ſunt ſpectacula numeroſæ Bibliothecæ: ſurgit in altum Ignorantia. Qui intimiùs contemplantur præſentem Artium & Scientiarum ſtatum, facilè vident, illas juxta rerum præſentium modulum atque conditionem ſtare non poſſe. Tanta autem & tam ſtupida Ignorantia, vitæ licentioſæ & tumidæ ſociata, quid, quæſo, produceret aliud quàm Vitiorum omnis generis meſſem, obbruteſcentiam, Atheiſmum? Fructus hi non certè naſcuntur in Capite, non procreſcunt ex Ratiocinio ſolido, ſed ſurgunt ex Cœno, ex Senſuum Voluptatibus. Inductis autem ſemel Atheiſticæ vitæ principiis, viliſſimi quique & flagitioſiſſimi erunt, ut ſunt, apud omnes Venerationi: hi ſoli Sapientes, Rationis compotes: integri alii, & vitæ puri, quia non facilè ſe ad avia abduci patiuntur, deriſui, contemptui, utpote ex ſimpliciorum & infimæ ſortis Geniorum fæce pronati. Eò invaleſcere poteſt uſque vitioſitas temporum, ut deſpectui veniant & riſui Seculorum etiam Sapientiſſimorum quorumcun-

que præteritorum mores & opiniones; nihilque valeat, niſi quòd novum, & depravato horum temporum guſtui adæquatum. Molles adeò homines & inflati obliterant, quantum in ipſis eſt, nativam ſuam fragilitatem, & ex tam tenui filo dependentiam, imò Divinitatis omnem exuunt ſenſum. Perrumpunt facilè Legum, & Regiminis obices, nihili habentes Majorum modeſtiâ non minùs & humilitate, quàm ſapientiâ & judicio inclytorum Judicia pariter atque exempla. Neque deerunt unquam abjecti adeò animi Homines, Hominum Monſtra veriùs dixeris, qui vitam adeò infelicem & deteſtabilem plauſibilibus ſatis defendere conantur rationibus. Ad hunc uſque corruptionis gradum evecta Natio non poteſt non ruinæ eſſe proxima, vel triſtiſſimis quibusque Fatis expoſita. Properantur hæc Fata à Paſſionum exorbitantia, quæ neceſſariò ſequi debent ex Bilioſis Salibus increſcentibus quotidie, tanquam Paſſionum Inſtrumento, ex ferculis ipſis fabricato. Hæc ubi excedunt, excedent & illa: Excedunt

dunt autem in nova noſtra Coquinariâ cibi nimiùm aromatiſati ac ſaliti, ut proin & Salia illa bilioſa abundare nimiùm quantùm neceſſe omninò ſit. Paſſiones accendi; vitioſas διαθέσεις incitari; Caput in præcipites tumultus agi: Faſtum & Ambitionem foveri; viam ſterni ad offenſas, Rixas, Contentiones, Partium ſtudia. Intemperantia ſicuti naturali viâ ducit ad Temporis diſpendium, negotiorum neglectum, Fortunæ ipſius jacturam; ita reddit egenos, deſperatos, audaces, unde videas plurimos, qui nullam non negligunt in turbida Aqua piſcandi occaſionem; & in publicis infortuniis proprium quærendi commodum. Ex tam infauſta rerum diſpoſitione nunquam non contigit, ut ſubverterentur Regna ac Reſpublicæ, & diſſolveretur conſtitutio quævis optima & ſapientiſſima Eccleſiæ non minùs quàm Status Politici. Eſt, de quo nullum dubium, Crapula oneri Stomacho, paritque Indigeſtionem: ſaburra autem Ventriculi putrida ac vitioſa, nimiæ ac degeneri Bili ſociata fons exiſtit & cauſa Morborum

 om-

omnium, inde tanquam ex penu largiſſima profluentium.

2. Error in Medicinæ Adminiſtratione.

XLVIII. Adde his prægrandem Medicorum, Chirurgorum, Pharmacopolarum, & Empiricorum numerum, cui commodè applices illud Virgilij.

Æneid. I. 98.

Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque Procellis
Africus ——

Felices nos, & illos ſummâ laude dignos, ſi tot Practicis reprimeretur malum, & Morborum numerus minueretur eorum operâ. Verùm enimverò tantùm abeſt, ut gloriari poſſimus de effectu adeò exoptando, ut, Experientiâ teſte, potiùs accreſcat malum: & quò plura exhibeantur Medicamina, numerus & violentia Symptomatum multiplicentur. Redditur illis Corpus languidum magis & magis, ſubmiſſum, ſed & Morbi magis vicinum. Res hæc tanti momenti eſt nobis omnibus, ut equidem optarem heîc fuſiùs de ea diſſerendi Libertatem, & exponendi cauſas, quas ſtudioſa inquiſitio mihi detexit. Sed præcipua capita duntaxat tangere animus

nimus eſt. Sunt autem: Practicorum ineptorum, & licentiâ deſtitutorum ingens numerus: Collegii Authoritas defectiva, vel non, ut decet, adminiſtrata. Statutorum, optimorum fortè & ſapientiſſimorum, ſimul & moralium, pudendus neglectus. Partium odioſum ſtudium, & Zeli defectus pro Honore, Dignitate & florido ſtatu Facultatis. Conciliabula & Conventus malevoli, quibus fabricantur conſilia ad quosvis ſupplantandos, qui non facilè ſubſcribunt dominantium Syſtematibus. Deſpectus veri & unici Scopi Medicinæ, qui Salus eſt & Felicitas Populi. Methodi Medendi irrationales prorſus e.g. molimina purificandi Sanguinem absque prævio Stomachum, Inteſtina, & vias ad Sanguinem expurgandi ſtudio, Criticorum Naturæ conatuum repreſſio, Excretionum Suppreſſio, & Materiæ Morbificæ intra Corpus retentio. Curæ talis directio, quâ pro exiguo duntaxat tempore palliatur Morbus & protrahitur, per Opiata e.g. Corticem, Chalybeata; & hujusmodi farinæ alia. Medicamentorum exhibitio

 tem-

tempore inopportuno, doſibus inadæquatis, absque Indicationibus juſtis, vel fortè eâ quantitate, & frequenti adeò iteratione, ut opprimatur vita, vel noxas incurrat. Propinatio Remediorum Compoſitorum, Mixtorum, & ita conſociatorum, ut invicem pugnent, & ingens excitetur in Corpore ex tot diverſi generis ingredientibus confuſio; talium, quæ Naturæ non ſunt congrua, & longiorem in Corpore trahunt moram, quàm quidem deberent. Praxis ſolis innixa Formulis, non inquiſitione cauſarum morbificarum decenti; absque informatione ſufficienti Virium, Proprietatum & actionum, quibus Remedia pollent; absque Methodo diſtinctiva earum rerum, quæ ſuccedunt ex voto, vel noxas pariunt; absque attentione ad progreſſus Curæ, vel finalem terminationem. In his omnibus quicquid agitur, cœco impetu agitur, incerto, & ſæpiſſimè funeſto eventu. Hæc ita ſunt clara, & omnium oculis expoſita, ut nemo ea diffiteri auſit. Decerpendi ſunt fructus ex iis, quæ hactenus per Viros probos & judicioſos

ſos ſunt definita, & ad certitudinem redacta, vel propriâ noſtrâ diligentiâ & ſtudio detecta; attendendum probè ad Vires paucorum licet Medicamentorum, quibus utimur, ſed probatas. Explicanda planè Structura Corporis Humani, & Status ejusdem ſani, ut plenâ luce fulgeat: videndum, & clarè determinandum, in quo differat Status ſanus ab ægro cujusvis Morbi, aut Symptomatis. Illi enim, qui in his omnibus non ſunt probè verſati, temerè agunt, quicquid ſuſcipiunt, & toti in tenebris palpant. Navigant hi absque Legibus, absque Pyxide: ſtat Medicina extra pomœria Artis: meris Conjecturis nititur Praxis, & caſu dirigitur. Dudum eſt, ex quo has, quas nunc expono, querelas effudit *Hippocrates*, * quòd, qui ita absque diſtinctione nihil, vel malè operantur Medici, Artem omnium præcellentiſſimam contemptui exponant, & neglectui. Attamen iidem ut plurimùm omnium ſunt tenaciſſimi, & in lubricis ſuis viis ſecuriſſimi. Imò licet *deſit* ipſis *Medendi ſcientia*, *verba* tamen *ſuperſunt*, † ſunt magniloqui, magno pro-

* Νόμος. Sect. I.

† Celſus Lib. I.

promiſſores oris hiatu : nullâ non occaſione criminantur Ratiocinia Philoſophica in Praxi Medica, non minùs formidantes ea in Medicina, ac quidam alii in Theologia : quo fine derident eos, qui Experimenta inſtituunt & Obſervationes,& ſe ipſos informare ſcitè cupiunt circa naturam rerum in Medicina uſualium, qui magno labore Anatomiam addiſcunt,Corpora diſſecantes tam ſana, quàm morbida. Calcant hi Scientiarum oſores viam breviorem longè, faciliorem, & jucundiorem; addo & ſecuriorem, pro captando ſcilicet lucro; de quo ut ſint tantò ſecuriores, unà cum omni ſociorum tuba viliſſimis quibusvis artibus infamiâ obruunt omnes eos, qui pani quoque lucrando ſtudent; vel viam ad rationalem magis, ſecuram, & felicem Praxin ſternere tentant : quandoquidem nihil eſt, quod fraudes eorum detegat magis, vel famam,quàm aucupati ſunt, adeò diminuat. Suggerunt menti meæ artificia, quibus utuntur hi Medici, easdem menti meæ cogitationes, quas Theologia tot olim tricis & ſpinoſis difficultati-

cultatibus involuta magno, ſapientiſſimo & optimo Viro, cujus verba huc maximè quadrant. *Res è peſſimis fontibus primùm orta eſt. Deinde peſſimis rationibus hucusque profecta. Ex odio bonarum Literarum, & ſtoliditate Monachorum, primùm orta eſt hæc Tragedia. Deinde magnis convitiis, & malitioſis conſpirationibus, huc veſaniæ res progreſſa eſt. Quò tendant, nulli dubium eſt; nimirum, ut, oppreſſis his Literis, quas illi neſciunt, impunè regnent cum ſua Barbarie.* * Non quòd tum temporis, in corruptiſſimo licet Eccleſiæ ſtatu, non fuerint Theologi, qui ſeſe produxerunt, & face ſuæ Eruditionis ſummæ nebulas ignorantiæ & Errorum denſiſſimas diſſiparunt: quemadmodum neque nunc in *Anglia* deſunt Medici, qui optimâ integritate, & maximo ſui honore ſeſe Torrenti præſentis corruptionis opponunt; doctrinâ haud inferiori ſuorum prædeceſſorum; qui ope maximorum, quos faciunt in Hiſtoria Naturali, Anatomia, & aliis objectis, ad ſummum uſque

* D. Eraſmi Epiſt. ad Gerhar. Noviomagum 1520. ap. Struv. Act. Literar. II. p. 107.

uſque faſtigium ſummo jure, applauſu juſtiſſimo, famam Medicinæ Anglicæ elevârunt, & diffuderunt per totum Literatum Orbem. Neque, ſpero, ex hac mea Deductione inferet quispiam, ſuperari ullo modo Anglicam Nationem à vicinis quibusvis aliis quoad Eruditionem, & Experientiam Medicam. Inundavit idem nuperi Belli Torrens ut Brittanniam noſtram, ita univerſam Europam, eademque Artibus & Scientiis intulit damna. Nam, præterquam quòd furente Bellonâ ceſſant Muſæ, deſtitutæ protectione & ſubſidiis, Officiarii poſt tot tædioſos Labores, expeditiones duras, Vigilias longas, & ſæpe Annonæ inopiam majori quidem indigent alimenti copiâ, & potu generoſiori; hi ipſi autem, plerunque nobilium proſapiarum Viri, domum redeuntes, hyemem tranſituri, morem vivendi eundem Patriæ advehunt; unde fit, ut Nationes antehac abſtemiæ & temperantes invitentur ad maximos Luxuriæ & Voluptatum exceſſus. Eſt hæc communis Hominum indoles, neque nobiſcum ſolis nata. Dudum

eſt,

eſt, ex quo magnus Philoſophus obſervavit, *citò nequitiam ſubrepere*, & facilè radicari; *Virtutem difficilem eſſe inventu, Rectorem Ducemque deſiderare; etiam ſine Magiſtro vitia diſci.* *

XLIX. Poſtquam nunc breviter, pro poſſe meo, inſinuavi cautelas obſervandas circa alios Morbos, & Symptomata, meo quidem judicio neceſſarias ſimul, & utiles, progredior nunc ad conſiderationem Variolarum, & eorum, quæ *D. Freind* & Medici alii Socii protulerunt circa illas. Demonſtravi, quod ſpero, ſatis ſuperque, non eſſe argumenta ab his in medium prolata in favorem Purgantium, in ſecundæ Febris acceſſu, concluſiva: quinimò ex propriis ipſorum Relationibus inferri debere potiùs contrarium, reluctari huic Methodo & Naturam & Rationem, nec favere ullo modo; Scripta *Hippocratis* non tantùm non favere huic Methodo, ſed ejus Præcepta & Ratiocinia potiùs directè contrariari. Ut proin recurrat Quæſtio ſupra † propoſita, ſi

Stomachus fons materiæ noxiæ, quæ cauſatur Febrim & alia prava Symptomata, in quarto Variolarum Stadio.

* L. Annæi Senecæ. Quæſt. Natur. Lib. III. c. 30.

† §. 32.

ſi quæ eſt neceſſaria, qualisnam Evacuatio inſtitui debeat? ad quam, opinor, facile eſt, & promptum, Reſponſum. Eſt Stomachus * Scaturigo materiæ morbificæ, fons tot periculoſorum Symptomatum in hoc Morbo. Huic nunc materiæ eliminandæ binæ duntaxat patent viæ, ἄνω una, altera κάτω. De hac, in ſpecie Methodo Purgativa, egi hactenus. Vidimus, contrariari ei planiſſimè omnem Experientiam, Obſervationes omnes circa Naturæ Leges: vidimus, tendente ſurſum matèria, per hujus Morbi decurſum, ægrum non minùs ſecurum reddi ut plurimùm, ac per Purgantia in diſcrimen conjici: huic remediorum generi ſeſe opponere ipſum Corporis Mechaniſmum. Inſinuavi plusquàm ſatis, paradoxam prorſus eſſe morbidæ materiæ attenuationem, exaſperationem, in Inteſtina ejectionem, per totam Inteſtinalem Fiſtulam protractionem, ubi tranſeundo juxta Lacteorum Vaſorum oſcula multùm hujus materiæ naturali viâ tranſire poteſt & debet in Sanguinem, ſicque neceſſariò cauſari tot dira Symptomata, periculorum pleniſſima. L. Aſt

* conf. §. 54. infra.

L. Aſt evitantur omnia hæc pleniſſimè & planiſſimè per Emeticorum uſum, ut eorum dextra adminiſtratione rectâ Viâ ejiciatur è Corpore omnium Symptomatum cauſa; maximo & immediato ægri commodo atque levamini; absque quòd accedere poſſit quidpiam Sanguini, vel metui debeat Symptomatum in Corporis Habitu accrementum. Neque verò indicatur Vomitus unicè à materia exiſtente in ipſa parte, cui applicatur operatio Medicamenti, ſed & à ſingulis Symptomatibus; Guſtu depravato, Nauſea, Ructibus; imò & Comate, Phrenitide, Oppreſſione Pectoris, & Dyſpnœa. Conſtanter ſubmittunt faſces omnia hæc Symptomata, quoties ritè procuratur Vomitus. Dedit ſeſe & Febris, æquè certò, ac increſcit Purgantibus. Ceſſat & ſecurè Diarrhœa, quæ error eſt Naturæ, & Medicis noſtris τῶν καθαρτικῶν φίλοις imponit. Tam hæc ſunt nota, & in communi Praxi Experientiâ firmata, etiam in ordinariis Diarrhœis atque Dyſenteriis, quàm quæ notiſſima. Diu eſt, ex quo divus *Hippocrates* obſervavit,

Indicantur proin Vomitoria, Purgantibus magis adæquata.

 Vomi-

Vomitu Spontaneo ſolvi Diarrhœam *.

De directione Vomitoriorum.

LI. Non me latet, Vomitoriis incongruis, Humanæ Naturæ infeſtis, pejorari Morbum, uti & doſibus levibus nimis, ineptis, languidis, Stomachum haud evacuantibus, vel quæ turbant duntaxat & excitant Materiam peccantem, & fortè partem ejus in Sanguinem transferunt; & hoc ipſo plurima quidem mala producent, non ullum laudabilem effectum: talia nec merentur Vomitoriorum titulum, neque metu & periculo carent. Peccant item, qui non ritè nôrunt prædiſponere Stomachum, liberum reddere & facilem ad ſui evacuationem; qui non intelligunt artem, promovendi hanc operationem, & in effectum deducendi. Magis adhuc, qui directionem linquunt ipſi ægro; vel adſiſtenti cuidam minùs in his rebus verſato, qui impedit potiùs & fruſtratur, quàm promovet, Evacuationem. Eſt Medici ipſius, qui bonum præſtolatur Eventum, probè attendere & ritè dirigere Opus; hic, modò operationi adſit, licet

* Ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγινόμενος λύει τὴν διάῤῥοιαν. Hipp. Aph. XV. §. 6.

cet exhibeat Emetica in caſibus penè deſperatis,quibus ægri tantùm non ad extrema ſunt redacti, non habent quod mali ex Operatione metuant, dumodò ſcitè eam direxerint. Potiùs videas ceſſare Symptomata, Languorem remittere, excitari Spiritus; vires roborari; redire animum; & totum Corpus reddi liberius, ejectâ per Vomitum vitioſâ, quâ ante gravabatur,& opprimebatur,Saburrâ. Vellem equidem, ut tempus permitteret, exponendi ſpecialiùs modum dirigendi integrum hoc negotium. Conſiſtit autem cardo rei in eo,ut ſedentur,quantum fieri poteſt, flatus ante, quàm Emeticum propinatur, illi nempe, qui inſunt Stomacho, & impedire poſſent Viſceris hujus contractionem, ad expellenda contenta neceſſariam; exhibeatur Serum Lacte dilutum, aliive Liquores grati ſimul & apti ad Phlegma attenuandum,& diſponendum ad faciliorem aſcenſum; moneatur & dextrè ſollicitetur Stomachus, quò promptè rejiciantur ſurſum contenta, neque vergant κάτω, ſicque vel Diarrhœam inducant, vel Sanguinem pol-

 luant,

luant, aut Corporis habitum inficiant: tandem debitis intervallis reficiendus & vigorandus eſt Stomachus vino Canarienſi, aliove generoſiori, dulci, calido; utpote quo omnium feliciſſimè facilitatur, & leniter promovetur Operatio: quæ pervertitur, confunditur & impeditur decocto Theæ viridis, Cardui, amaris aliis, Aquâ calidâ, vel quibusvis aliis flatulentis, & offenſivis, quæ non eodem Mechaniſmo adjuvant Vomitorii operationem. Omnia hæc ſi ritè & dextrè tranſiguntur, Vomituritionem reddunt facilem & liberam. Ita quidem, ut prædiſpoſito Corpore, rebus ritè ordinatis, operatione prudenter adjutâ, exiguæ etiam doſes, & blanda Vomitoria optatiſſimum obtinere queant effectum. Poſtulat Natura Humana virum ſapientem & probum, qui Commiſeratione ſe moveri patitur erga illam, nec molitur quidquam, quod ſit inconſideratum, temerarium, aut periculoſum. Cavet ſibi, qui vel parùm eſt ſollicitus, de adminiſtratione remedii, quod licet, dextrè adhibitum, periculo vacat omni, malè audit, &

terret

terret inprimis eos, qui imprudenter fuere tractati, vel rem ſuſcipiendam non intelligunt. Hoc eſt, quod illi & magnos parit labores, & eventus incutit metum, & multùm conſumit temporis, curæ, & meditationum; Imò verò exponit eum denigrationi & Cenſuræ aliorum, qui invidis oculis acutùm cernunt. Ita ut, qui curæ habet & cordi vel Honorem ſuum, vel utile, evitet quàm ſtudioſiſſimè talismodi molimina. Verùm enimverò probi & honeſti Medici eſt, propriâ ſuâ ſe involvere integritate, &, ubi clarè cernit cunque, forti incedere animo, nec pati, ut vita ſurripiatur per inactionem; ſatis ſuæ Conſcientiæ facere, & officio ſuo defungi, ſed ſummâ, quàm poteſt, prudentiâ, & dexterrimâ totius negotii directione. Hoc, fateor, pluris conſtat ei, ſed eſt ſatisfactio tantò major. Proſcribunt omnia Vomitoria, quorum forſan Scopus eſt, non curare Morbos, niſi per expectationem, mala non auferre, ſed differre, populum redigere ad acquieſcentiam, & mala palliare; vel, ſi multa concedunt, blanda

concedunt Vomitoria. Sunt remedia conſideranda non duntaxat in ſuis operationibus immediatis, ſed, quod maximi eſt momenti, in harum effectis & conſequentiis. Naturæ non conſulitur, blandis verbis, nec his Morbi expugnantur. Credi vix poteſt, quanta inferantur mala frivolis medicamentis, licet iis contenti ſint pro tempore & Æger, & Medicus, non conſiderantes Symptomata, quæ aliquandiu poſt irruunt, vel adſcribentes novis aliis cauſis. Vidi haud ſemel, ſed iterum atque iterum, effectus palliativæ hujus Methodi adeò magnos, adeò repentinos, & evidentes, ut non minimum mihi reſtiterit dubium dependentiæ à ſuis cauſis, modò recenſitis. Sic obſervavi in Variolis, in conſilium adhibitus, propinato aliquandiu ante Vomitorio blando, & impotenti, materiam morbificam in Stomacho attenuatam, exaſperatam, non tamen rejectam ſurſum, ſed Torrentis adinſtar in Sanguinem raptam, qui nullâ ratione ſiſti potuit, ſed ægrum dimidio temporis Variolis etiam acutiſſimis deſtinati ſpatio è medio ſuſtulit.

Digitized by Google

lit. Novi pariter ſolâ decoctione Cardui Febriculam mutatam in Continuam, ferocem adeò, quæ Vitam in ſummum conjecit vitæ diſcrimen, & vix poſt decem dierum intervallum, operâ licet trium inſignium maximè Medicorum, ad aliquales inducias redigi potuit. Neque poterat æger, quamvis juvenis, aeri libero ſeſe exponere, niſi elapſis ſex ſeptimanis. Omnia hæc, quod nemo non videt, evitari poterant Vomitorii prudenter adhibendi juſtâ doſi. Neque mirum, eodem Errore leve Aſthma mutari debere in enormem Aſciten *: dolorem Stomachi in Rheumatiſmum violentum: Oppreſſionem ita dictam Stomachi in Melancholiam profundam & obſtinatam: aliis diris accidentibus ſtipatam; quæ ſanè non eveniſſent unquam, ſi Medicamentum exhibitum fuiſſet malo appropriatum, ſufficienti doſi, & operatio decenter adminiſtrata. Imò verò in hoc caſu non tanti ſunt labores, non difficultates tantæ, non tædia & Languores, quæ ut plurimùm ſociata videas Vomitoriis languidis. Præſtat igitur,

* conf. ſ. 30. ſupra.

M 4 aut

aut fungi officio ex toto, aut id non tangere: Medicamenta exhibere effectu ſuo haud deſtituta, aut nulla prorſus.

Vomitoria præ aliis uſualia.

De Ypecacuanha.

LII. Conſiderandum nunc, quænam ex tot uſualibus Vomitoria ſint inprimis Scopo præſenti accommoda? Prima autem mentio fieri debet *Ipecacuanæ*, quod Medicamentum in omnium nunc eſt manibus, & facilis tractationis; pro Specifico agnitum in Diarrhœa, quod Symptoma Medicorum novæ ſortis oculos adeò perſtringit. Hoc nomine allatum primùm ex *Braſilia*; tanquam polychreſtum in Diarrhœis & Dyſenteriis, non ſimpliter ut Vomitorium, pro tali agnitum inde à paucis annis. Recens pulveriſatum operatur meliùs quàm vetus. Qui Pulveris formam reformidant, iis frigida Infuſio per 20. horas in Unciis tribus Vini Canarienſis filtrata gratam dat potionem, quæ in delicatioribus Corporibus ordinariè ſucceſſu haud caret.

De Oxymelle ſcillitico. conf. p. 187. infra.

Antiquæ præſcriptionis eſt *Oxymel Scilliticum*, quod diu fuit in communi uſu. Operatur id blandè, & ut plurimùm, agile redditum, effectum

tum nanciſcitur deſideratum. Sunt præterea Exempla, quibus conſtat, Medicamento huic ineſſe per accidens vim diureticam, Urinæ promotricem; quâ urinâ communiter felix & ſalutaris obtinetur Criſis in Variolis. Aliquando promovet Sputum, ad finem rurſus optatum. Et ſanè hoc Remedio convenientius nihil exhiberi poteſt, ubi Sputum, Variolarum comes, vel deficit, vel ſupprimitur, ſolo, aut Aquæ Bryoniæ compoſitæ, Aquæ *D. Stevens*, aliive ſociato. Eidem Scopo egregiè quadrat *Oleum Amygdalarum dulcium*, per ſe, vel cum vino Canarienſi calidum. Ad Vomitum hoc remedio provocandum neceſſe eſt, ut ægro exhibeatur Decoctum leve Herbæ alicujus guſtui gratæ, uti Salviæ, Hederæ terreſtris, Althææ, & aſcenſus promoveatur Plumâ. Quòd ſi urſerit neceſſitas, vel è re fore judicavi, addidi in aliis Febribus Ipecacuanhæ *Tartarum Emeticum* ab uno ad quatuor grana, optimo ſemper ſucceſſu. Eſt quippe Ipecacuana mite ſatis & blandæ operationis remedium, excitans ſæpe materiam, ſed non educens,

Occaſionaliter de Oleo Amygdalarum dulcium.

De Tartaro Emetico.

unde ut plurimùm haud levia oriuntur incommoda. Inſinuavi autem jam ſupra, cum Ægro agi & meliùs, & ſecuriùs, ſi Medicamentum operetur liberè ac promptè, debitis licet adhibitis cautelis, & ſub prudenti Regimine. Id autem non certiùs ac ſecuriùs effectui dat ullum remedium, quàm Tartarus Emeticus ſolus, vel Ipecacuanæ junctus, cujus effectus mitiores inſigniter adjuvat. Quod adeò feliciter ſuccedit in Febribus aliis, id non minùs feliciter ſuccedit in Variolis, quantum quidem ego propriâ Experientiâ didici, ut non abs fundamento Apologiam in me ſuſcipiam. Accidit aliquando, ut Vomitorium excidat prima intentione, κάτω purgans, inprimis ſi blandum fuerit, vel doſis ad irritandum Stomachum, & rejicienda hujus contenta inſufficiens: vel operatio non, ut decet, promoveatur. Accidit id ſpeciatim, & ordinariè, Oxymelli Scillitico. Quapropter eo non utor, niſi in Infantibus; vel ſi eò uſque res devenerit, & Æger adeò ultimis fatis ſit vicinus, ut rigidi Cenſores, tunc plerunque attoniti, Vomitus valentio-

lentiores reformident. Vocatus in Conſilium pro *Johanne Bryan*, undecim circiter annos tunc nato, remedium hoc exhibui 14. ab eruptione difficillimarum Variolarum Confluentium die, quem omnes præſentes judicabant Mortis Candidatum: hoc Medicamentum ſociatum *Aquæ* cuidam Cordiali, ſi benè memini, *Cinamomi fortiori*, operabatur mox deorſum, & dejectiones movebat copioſas, quibus via fuit ſtrata ad recuperationem ſalutis. Nota mihi ſunt alia hujuſmodi Exempla, quæ liberè & candidè confiteor Nobiliſſimis his Medicis, ut, ſi favere putent ſuæ Hypotheſi, illa in uſum trahere poſſint. Sed hoc animadvertant rogo, quòd ex tam facili directione Medicamenti ad inferiora certum ſit, viam per Inteſtina in hoc caſu fuiſſe fortè fortunâ apertam & liberam, ut proin parùm de materia morbifica tranſire potuerit ad Sanguinem. De quo rarò admodùm, vel nunquam, erunt ſecuri ſuis Purgantibus. Præjudicat blandis non minùs Purgantibus, quàm Diarrhœam ſiſtentibus ſive Stypticis *

* conf. §. 32. ſupra.

hæc

hæc circumſtantia,quòd Vomitoria,ſi dicto modo deorſum ruant, tantò ſint feliciora, quò operantur citiùs & alacriùs, & pauciora inde metuenda ſint incommoda. Quapropter ſi fortè Vomitoria perrexerint hac via, ſed propter impedimenta non ſatis, ut optaram, purgaverint,vel levis Diarrhœa inſecuta fuerit,in uſu habui applicare Clyſma, ut ſine mora promoveretur curſus materiæ per Fiſtulam Inteſtinalem, quod nunquam non ægro vidi proficuum.Ex eadem Operatione,quod ὡς ἐν παρόδῳ moneo,feliciſſimum nactus ſum ſucceſſum, in aliis hujus Morbi Symptomatibus, ſi quando ob ſaburram nimiam peccantis materiæ, Inteſtina obſtructa, vel à flatibus diſtenta,occaſionem dederint tranſitui illius in Sanguinem, & Symptomatibus urgentibus valde & tumultuoſis; hac enim methodo obſtructiones vidi ſolutas, & materiam vel diminutam valde, vel foràs ejectam,& ægrum inſigniter levatum. Exemplum ſiſto *D. Guilielmi Roberti*, liberati hac ratione bis, nempe die 4. & 6. ab Eruptione Variolarum pericu-

Clyſterum uſus in Variolis.

Digitized by Google

riculoſè Confluentium, ab Oppreſſione ingenti, & virium dejectione, ut vita ejus in extremo fuerit diſcrimine, omnium judicio, ſpeciatim *D. Milleri* Pharmacopœi dexterrimi, & judicioſi, Cognati & Hoſpitis. Res Obſervatione digniſſima, qua ſimul confirmatur magna judicioſiſſimi *Hippocratis* [a] Experientia, qui licet nullo modo admittat *Purgantia* in *Febribus acutis*, concedit tamen liberum uſum *Clyſmatum*, *quoties* anſa ea applicandi datur; rectiſſimè obſervans, minùs longè periculi ſecum ferre hanc Operationem, quàm Purgantia.

LIII. Vomitoria commendat idem Sapientiſſimus Scriptor in Febribus; in *Colica*, [b] quæ ordinariè accidit Æſtate, & ſtipata eſt Febri, & Vomitoria quidem reiterata, ſi occaſio ferat. Ita quoque Emetica laudat in Febri illa plerunque vehementi, quæ ordinariè Græciam infeſtabat Æſtate. [c] Indicationem rectè arceſſebat à Vomi-

Hippocratis Judicium in favorem Vomitoriorum in Febribus.

a. Οὐκοῦν οὐ χρὴ τοῖς ἰσχυροῖς τῶν πυρετῶν φάρμακα καθαρτήρια προσφέρειν. Ἀλλ' ἀνίκα δέῃ, ὑποκλύζειν χρὴ, ὁποσάκις ἂν βούλῃ, ἀκινδυνότερον γάρ. Hipp. περὶ φαρμάκων. Sect. 5.

b. περὶ Παθῶν. Sect. 15.

c. Ibid. §. 13.

Vomitibus & dejectionibus bilioſis, aliquando in hoc Caſu obortis: qui proin aliquatenus affinis videtur Choleræ. In hoc Morbo præſcripſit *Hippocrates Helleborum*, unde *vomuit* [d] æger. Nôrunt omnes, Choleram nunquam deſtitui Febre; & aſſerit alibi *Hippocrates*, haud ſolvi *Lipyrias Febres* [e] abſque Critico Choleræ acceſſu. In *Cauſo*, [f] Febre admodùm maligna (in qua *Lingua* fuit *aſpera*, *arida*, *nigra*, *ſitis exceſſiva*, Æger *comatoſus* & *delirans*) *Vomitoria* duxit neceſſaria, & *Clyſteres*; non tamen ante admiſit *Purgantia*, quàm in uſum fuerit adhibitum *Lac aſininum calidum*. Imò verò linquit nobis relationem duorum Caſuum *Febribus* poſt *Purgantia* demortuorum, qui *Hippocratis* judicio reconvaluiſſent *Vomitororium* uſu [g]. Quòd ejus mecum ſit ſententiæ *Hippocrates*, haud exiguâ perfundor lætitiâ; non tam propter ſummam Viri famam & auctoritatem, quàm maximam induſtriam, & quia, quæ ſtatuit,

Ob-

d. Ἐπιδημ. L. V. §. 4.
e. Κωακ. προγν. §. 1.
f. περὶ διαίτ. ὀξέων. §. 34.
g. Ἐπιδημ. L. V. §. 9. 10.

Obſervationibus ſunt fundata, Ratiocinio ſimplici & demonſtrativo nixa, & quia pro ſingulari ſua probitate liberrimè declarat operationum ſuarum ſucceſſus. Ut proin non alium quàm Paradoxi titulum mereatur, quod *D. Freind* ſub Rubrica ſpecioſa *Commentariorum in Hippocratem* publicare audet, cum animi ejus ſenſis adeò directè pugnans; & cum Natura ipſa, quam venerabilis hic Senex ſibi habet propitiam.

LIV. Finem huic materiæ haud ante impono, quàm Lectori palàm fecero, per Vomitoria in hoc æquè, ac primo Stadio liberari ægrum ut plurimùm à putrido valde & vitioſo Phlegmate; Bile item flava, viridi, nigra, amara, ſalſa, acida, fervida. Ipſa proin hæc Operatio, dum in dias luminis auras protrahit ipſa hæc principia, quæ pro cauſis adſerui Febris, & aliorum gravium Symptomatum, aliquando hocce quartum Stadium comitantium, ocularem ſimul exhibet demonſtrationem realis horum principiorum exiſtentiæ, & evidentiſſimam, quàm fieri poteſt, reddit Doctrinam

In lucem protrahunt Vomitoria cauſas Symptomatum in poſtremo hoc Variolarum Stadio. Doctrinæ hujus Veritas ipſis quoque ſenſibus redditur evidens.

nam abs me in præſenti Tractatu expoſitam. Detegitur ſimul cauſarum harum morbificarum ipſiſſima ſcaturigo, & ſubminiſtratur argumentum indubium Operationis hujus, quàm optimis ſit fundata Rationibus. Sed quoque aliud argumentum ſuggerit Symptómatum ſuſpenſio, ſi non ſtatim ab Operatione, paulò tamen poſt. Quinimò immediatè ceſſant Symptomata, & liberantur Æger, ſi Corpus ſit prædiſpoſitum, & Operatio eâ prudentiâ inſtituta, quâ materiæ exoneratio redditur prompta, facilis & libera.

Argumentum aliud ſuppeditat Ceſſatio Symptomatum à Vomitu.

LV. Ita Vomitus procurari poteſt, ubi neceſſitas poſtulat. Verùm enimverò Corpus ſub finem hujus Morbi vix eſt in ſtatu, ut validos ſufferat impetus, Veſicatoria, Venæſectionem, Purgantia, vel etiam Vomitoria. Felici proin eſſe contingit Ægro, ſi res debitâ prudentiâ & præcautione peractæ fuerint ab initio, Organis adhuc ſatis liberis, & viribus integris. Evacuationibus autem neceſſariis factis cardo rerum à Medico peragendarum conſiſtit in eo, ut erigatur ſpes & con-

De Cura finali, & Ægri reſtauratione poſt Variolas ſuperatas.

confidentia Ægri; regantur & ſubigantur Paſſiones; procuretur Quies & commoda ex omni parte vivendi ratio: præmuniatur æger ab omni Caloris Frigorisve exceſſu: ordinetur Diæta, Potus, & pauca Medicamenta antipyretica: ſervetur vitioſa materia in Stomacho, diſciplinæ ſubjecta, ut ad Habitum Corporis non tranſeat majori, quàm Viſcera ferre poſſunt, copia; diſpenſetur eadem ad Puſtulas, vel promoveatur foràs per Sputa, Renes, & ordinaria Secretoria Organa. Reliqua omnis, ſi fieri poteſt, retinenda in Stomacho, ut quieta ibi maneat, donec Puſtulæ ſint evacuatæ, Viſcera feliciter liberata, & convenienti Vitæ regimine ſtructura Corporis reſtaurata, viresque aliquantum reſtitutæ. Poſt hæc omnia haud ſervanda vel figenda materia morbifica in Stomacho, ſed excitanda, imò verò eliminanda extra Corpus. Id ſi negligatur, & opportuna occaſio prætermittatur, ſequi neceſſe eſt, quod Experientia quotidiana teſtatur, mala atque incommoda numeroſa non minùs, quàm funeſta. Eſt hæc materia

Evacuationes heîc neceſſariæ; earum beneficium & uſus: Committuntur magni errores, ſi omittantur.

oneri Stomacho, incommoda Digeſtioni; vitiatur Nutritio; corrumpitur Sanguis; læduntur & deſtruuntur Viſcera, Cerebrum, Oculi, Pulmones; materia ſuppeditatur exanthematibus & eruptionibus variis; inducentur ita dicti Scorbutici Affectus, Cachexia, Atrophia; hic illeve Morbus, in Corporis majorem minoremve noxam, pro depravationis gradu, & quantitate materiæ vitioſæ in Stomacho relictæ. Impetrabo tantò faciliùs veniam, ſi fortè diffuſus nimis viſus fuero, quandoquidem inadvertentiâ, omiſſione, & defectu attentionis debitæ innumera Corpora aliàs vegeta & firma fuere miſerum in modum deſtructa, & Mortis faucibus tandem abſorpta. Qui non ſatis norunt ſubjugare Paſſiones, & vincere Appetitum, nec ſtare diutiùs ſub diſciplina, quàm abſoluta urget Neceſſitas, Regiminis impatientes, à Medicamentis, quæ horrent, remoti, ſibi ſoli & Naturæ confidentes nimiùm periculo elapſi, hi ſanè malè ſibi conſulunt pro præſenti, & peſſimè pro futuro ſecuræ felicitatis ſtatu. Habeant, de quo querantur,

rantur, multis per Morbi decurſum remediis fatigati,& fortè nimis,quàm par erat. Hoc tamen ſummæ eſt Prudentiæ,& maximo eorum commodo, ſi pro nunc concedant aliquid, licet illibenter, firmandæ Saluti. Si excipias eos,qui ſibi non conſulunt,& neceſſaria auxilia initio reſpuunt, permittentes, ut ad ακμὴν aſcendat morbus, nullo obice interjecto, Viſcera & Habitus Corporis adeò inundentur, ut poſteà nullus remedio ſit locus, ii certè omnium fatales maximè committunt errores, qui neceſſaria finito Morbo negligunt. Quum è contra, qui opportuno hoc tempore uti nôrunt, & res ritè adminiſtrare, Sanitatem ſuam & vires firmiſſimo ſtabiliant fundamento. His quoque mediis corriguntur ut plurimùm Errores atque defectus Conſtitutionis,quos circumtulit æger ante Variolarum acceſſum. Ii certè non, ut decet,rem ponderant, parùm in cognoſcenda Naturæ neceſſitate verſati, qui tot poſthabitis monitis ſalutaribus, quotidie in Praxi occurrentibus, nondum ſciunt, materiam Varioloſam diu ante deli-

tuiſſe quietam in Corpore, imò pleramque homini connatam. Argumento eſt, ſi nullum foret aliud, magna illa & ſubita mutatio, quæ ſequitur Variolas, & incredibilis ferè Conſtitutionis melioratio, ſi fortè vitioſa materia non fuerit Mechaniſmo & Viribus Corporis expultricibus ſuperior. Hoc quidem haud inficior, regnante nunc, & Orbem inundante vitâ ubique luxurioſâ, felicitatem hancce non eſſe adeò frequentem, ut quidem foret optandum. Hinc omninò eſt, quòd majori auxilio, & Medicinæ adjumento ut plurimùm habeamus opus; & Corpora à primâ infantia valetudinaria, infirma, ægra dextrâ remediorum adminiſtratione, & cauſarum morbificarum remotione, reddantur ſana, firma, valida; caligo Intellectus diſſipetur; & qui ſtupidi erant, apti fiant Scientiis & Artibus; Oeconomia prorſus à Jugo liberatâ, & Impedimentis remotis. Quæ heîc dicuntur occaſione Variolarum, applicari poſſunt, ac debent, Febribus quibusvis aliis, imò omnibus omninò Morbis; in quorum Curatione ſi, Ratione du-

ce,

ce,Principia morbifica,diu in Corpore deliteſcentia, ídque offendentia, non figantur, & ſupprimantur, vel duntaxat ab uno Organo ad aliud transferantur, ſed prudenti methodo foràs ejiciantur, Corpori redditur omninò Libertas & vivacitas,quâ ante minimè gaudebat: Sanitas, quam nunc obtinet, adeò priori firmior, ut nemo non clarè videat, prudens Morborum,utut violentorum & periculoſorum,regimen,ingenti ceſſiſſe conſtitutionis commodo. Tot hujus Veritatis proſtant Exempla, ut nemini dubium ſuboriri poſſit.

LVI. Aſt enimverò totalis Corporis liberatio à materia noxia, & morbifica non eſt opus adeò facile, ac quidem ſibi fingunt rerum imperiti. Hactenus non ſatis explorata Secretio, & depoſitio materiæ per Glandulas Inteſtinales, hujusque quantitas: neque aliud notum, quàm Mucus, isque multus, inſerviens, ſi debitâ adſit quantitate, lubricandis Inteſtinis, iisque contra Bilis adeò communiter copioſæ injurias & deprædationes defendendis. Sed hoc certum,exhauſto &

Corporis liberatio ab omni materia noxia opus magnum, & difficultatis plenum.

Reciprocationes in-

ter Vaſa Sanguiſera & Stomachum. & evacuato Stomacho, vitioſam materiam ex Stomacho in Sanguinem translatam, inde per Glandulas, & Vaſa Gaſtrica, in hunc ipſum finem numeroſiſſima, redire & ſecerni in incredibili quantitate: * Unde patet, quàm tædioſum & difficile ſit negotium, liberare prorſus Stomachum: Eſt hæc inter Sanguinem & Stomachum Reciprocatio ita fundata, ut argumentis, quod puto, demonſtrativis nemo reſiſtere auſit; & vellem ſanè, ut loci foret ac temporis, producere ea in medium. Non tamen materiam hanc ſicco prorſus pede præterire poſſum, quin aliqua exhibeam indicia, quæ ſcrutatorem ſedulum ad ulteriorem inquiſitionem hortari & ducere poſſint. Aſari ſucco, aliisve Emeticis violentis, ordinariè exhiberi ſolitis in Mania, Melancholia, iisque frequenter repetitis; vomituritionibus, quæ in Navigationibus nonnunquam per aliquot ſucceſſivè hebdomadas continuant, ut & Gravidarum, tanta rejici ſolet Phlegmatis & Bilis copia, ut Stomachus ne quintam, imò nec decimam ejus partem unâ vice cape-

* conf. §. 30. ſupra.

capere poſſit. Adſtringuntur autem Furioſi & Melancholici Diætæ admodùm tenui; reliquos, quorum mentionem feci, languidos & continuò ferè vomentes, Appetitus deſtituit, eò uſque ſæpe, ut producatur notabilis Indigeſtio. Neque ſanè poſſet tanta materiæ copia ejici ex Stomacho, niſi continuò ſuppleretur aliunde, & ex ipſo Corporis habitu redux in Viſcus hocce deplueret. Sed extant alia, quæ Veritatem hanc reddunt magis adhuc evidentem. Nihil commune magis, quàm Arthritidem vel Podagram deſinere in Stomachi Oppreſſionem; Tumores doloroſos & Inflammatorios Pedum in Dolores gravativos, Æſtus, & Languorem Stomachi. Hinc haud infrequenter cauſa Morbifica redit ad Pedes, rurſumque poſt aſcendit in Stomachum. Hujusmodi Reciprocationes aliquando eveniunt Stomachum inter & Lumbos, Crura, aliásve Corporis partes Rheumatiſmo affectas, ut & in Hydrope. Ita ceſſantibus Doloribus Hæmorrhoidalibus Stomachus languet, rediens ad priſtinum vigorem, redeuntibus Hæmorrhoi-

rhoidum Doloribus. Concidentibus derepente Puſtulis,& Eruptionibus aliis illicò in anomalias cadit Stomachus, quibus remittentibus comparent de novo Exanthemata cum Doloris ſenſu. Ita ſeſe ut plurimùm habent Res Naturæ; verùm ſi externorum Repellentium uſu retrudatur materia peccans ab extremis Membris in Stomachum, fit id majori ſemper Corporis incommodo. Turbas & pericula auget, quòd Naturâ vel Arte retrotruſa peccans materia in Stomachum inundet ſimul alias quoque partes, eaſque Vitales, & Animales, Cor, Pulmones, ac Cerebrum. Hoc unicum addo, ſufficere nobis argumentum viæ ex Sanguine in Stomachum indubium Experimenta in Brutis facta. Diſcimus ab his, quòd Tincturæ Emeticæ in venas etiam crurales, maximâ à Stomacho diſtantiâ, injectæ Stomachum Vomitibus, & incommodis aliis afficiant non minùs, quàm ſi immediatè fuiſſent Stomacho infuſæ. Proſtant Argumenta ſatis multa, quæ nos docent, Sanguinis maſſæ aliquando ineſſe, eamque pertran-

tranſire, vel ſaltem hanc viam tentare copioſiſſimam materiam peccantem, depravatam Bilem cum Phlegmate. Caſum memorabo unicum duntaxat Ill. Equitis *Guilielmi Emmet*, qui in vehementi Sttanguriæ acceſſu, paucis abhinc annis, Urinam habebat intenſè calidam, bilioſis Salibus copioſiſſimis, quot vix obſervavi unquam, ſaturatam. Auguſto 1716. poſt dirum Febris acceſſum cœpit per vias urinarias excernere Phlegma in magna quantitate. Continuavit ita per quatuor Menſes; rediit, poſt ſex Menſium intervallum, hæc excretio Junio Menſe 1717. augebatur inde, & continuabat indies, cum exigua intermiſſione uſque ad medium Januarii: quo in conſilium fui vocatus; tunc autem temporis Spatio 24. horarum excrevit ultra binos Sextarios Phlegmatis craſſiſſimi, gravis, & tenacis admodùm; quæ res adeò inſolita, ut penè fidem ſuperet, ſed certiſſima, & facti. In hoc Caſu vaſa Sanguinea Phlegmate onerata, qua ſeſe exonerare non poterant in Stomachum, eadem jam nimis oneratum, & invalidum

proſus ad hoſtem ejiciendum vel ἄνω, propter vias flatibus clauſas, vel κάτω propter conſtipationem ordinariâ majorem, viam tentavit Natura, quæ remanſerat unica, per maſſam Sanguinis, & Renes. Obſervari heîc meretur, quòd per remedia oleoſa & unctuoſa evacuato copioſo Phlegmate ex Stomacho & Inteſtinis, redierit brevi Urina ad ordinarium & naturalem ſtatum, facilemque ac liberam excretionem; reſtaurata iisdem mediis Conſtitutio, reducta ad priſtinum vigorem, quo ante viginti abhinc annos gaudebat, Sanitas. In ſumma, planum id, vitioſa Sanguinis contenta quemadmodum primùm eò deferuntur ex Stomacho, blandè ſic & naturali viâ evacuato, redire in idem Organum per Gaſtrica vaſa, iisdem motus Legibus, tantò faciliùs, quia Stomachus fuit exoneratus. His autem modis depuratur ſenſim Sanguinis maſſa, vigorem recuperat Corporis ſtructura, à cauſis morbificis liberata, tandemque reſtituitur Sanitas. Nec ſanè proſtat alia via, quam Natura ſecurè poſſit inire. Quam diu remanent Principia

Sanguis depuratus, Morbique curati evacuatione Stomachi.

Non exſtirpatur

cipia

cipia turbulenta in Corpore, tamdiu de Vitâ ſecurus eſſe nequit æger, frequentibus agitatus inſultibus; & certò quidem offendunt toties, quoties excitari contingit. Conſtanti & invariatâ Naturæ Lege quodvis materiæ genus ſuas habet Proprietates inſeparabiles, perpetuos illius, ſi adſit, Comites. Vitioſa proin & præternaturalis materia inhærente Corpori lædi id, & periculo exponi neceſſe eſt, uſque dum ejiciatur. Nec ullo modo concipi poteſt, quomodo Partes organicæ Corporis liberè agere, ſuoque officio ritè defungi queant, impeditæ & offenſæ à materia peccanti. verè ullus Morbus, niſi Evacuatione, cauſæque ſublatione.

LVII. Optandum foret utique, ut qui ſemper in ore habent *Edulcorationem Sanguinis, roborationem & reſtaurationem Toni Nervorum, Spirituum Animalium excitationem*, & hujuſmodi alia; ii quoque, quorum Praxis nititur Medicamentis ita dictis Alterantibus, qui ea magnâ copiâ præſcribunt, hæc omnia probè examinarent ad Veritatis & Salutis trutinam; & attentè conſiderarent, quibusnam Morbis illa reverà medeantur? an, ſi mul- De Medicamentis Alterantibus.

ta

ta præſtiterint,aliud effectui dederint quàm ſuppreſſionem , vel mitigationem Symptomatum ? annon hæc eadem Symptomata recurrant brevi ? vel horum loco alia, fortè pejora ?

De Medicamentis Abſorbentibus & Teſtaceis.

LVIII. Certum hoc eſt, horum Remediorum magnam partem , in Specie integram Abſorbentium Tribum,quâ comprehenduntur Pulveres ita dicti Teſtacei , in Morbis magnis Chronicis non efficere aliud niſi dilationem, ſeu moræ tractionem. Certum id,abſorberi iis Bilioſa Salia,tum genuina ſeu nativa , tum extranea, quorum proin actionem ad tempus impediri neceſſe eſt. Ubi pauca hujus generis Salia notabiles exerunt effectus, uti ſunt Corpora tenella Infantum,Pulveres hi fortè præſtare aliquid poſſunt : abſorptione eorum & detentione obtinentur induciæ,& ſuſpenduntur effectus. Hæc ipſa Salia, quia inprimis reſident in Stomacho, veluti Sede Regia, inpeditur eorum actio & Motus, poſſunt hæc Remedia quodammodo tueri hoc Viſcus,& Salium deſcenſum inhibere ad habitum Corporis. Hoc modo aliquantum minuuntur

nuuntur moleſtiæ, Inquietudines, Febriles æſtus, aliave Symptomata, ab his Salibus aliorſum translatis oriri ſolita. Sed terminatur horum medicamentorum ſenſilis Operatio, à qua & commendari ſolent, in ſedandis turbis atque tumultibus, quos excitant Salia hæc in Stomacho. Hinc ſanè eſt, quòd tenella hæc ætas & ſenſilis admodùm, ab his Salibus inundari ſolita, exuberantibus his, mero Inſtinctu Naturæ acta abligurire ſoleat Cretam, aliaque hujus generis, quæ earundem ſunt virium cum Medicamentis Teſtaceis. Nec eſt, cur concedamus magis frequentem & continuatum uſum horum atque illorum. Certum hoc, Oculos Cancri, Margaritas, & pauca alia ſelectiora abſorbentia eatenus poſſe dari, quatenus implicant & frangunt Salium horum inſultus. Verùm enimverò, illuſoria eſt hæc Praxis, imò detrimentoſa Corpori, niſi maturè ejiciantur hæc ipſa Remedia unà cum Salibus captivatis ſive abſorptis, qui unicus eſt & laudabilis exhibitionis Scopus. Hoc eſt, quod omnis mea inquiſitio, omnia

mea

mea Experimenta, Caſus omnes me docent. Nemini id videbitur mirum, quandoquidem Salia hæc, licet captivata, pro tempore, non minori adſunt quantitate in Corpore, quàm ante, niſi evacuentur; proin citiùs tardiusque evoluta, ac vinculis liberata eosdem de novo producent effectus, eandem ludent ſcenam, quam ante. In Adultis eadem hæc Salia magnâ ut plurimùm adſunt copia, & majori, quàm quæ ordinariâ Teſtaceorum, aliorumve Abſorbentium doſi ſuperari queat. Hoc in caſu non poſſunt non Stomacho eſſe moleſta, impedire Digeſtionem, abſorbendo Salia quædam huic actioni neceſſaria, Alvum reddere adſtrictam, incraſſare & denſare Fluida, calorem reprimere, frænare actiones, motum horum & diſtributionem infringere. Sunt effectus paſſim evidentes, inprimis in Chloroſi laborantibus & Ictero, qui reprimendam & temperandam Bilem redundantem, deprædatoriam aliâs & Stomacho moleſtam, maximam adſumunt Abſorbentium copiam. Illæ horum Medicamentorum partes, quæ

fortè

fortè ad Maſſam Sanguinis tranſeunt, cauſari facilè poſſunt ibi Obſtructiones, infarcire Vaſa & Glandulas,& unà cum Phlegmate, cui fortè junguntur, materiam dare concretionibus calculoſis. Nullo modo id videbitur mirum iis, quibus Experientia dictat, hujusmodi remediis tandem generari in Corpore ſpeciem quandam Lixivii,vel potiùs Gypſi. Parùm certè ad naturam horum remediorum attendiſſe oportet eos, qui,quæ heîc profero, diffitentur.

De Cortice Peruviano,& occaſionaliter de Febribus Intermittentibus.

LIX. Validum eſt abſorbens & unum ex primariis Pulvis Jeſuitarum, ſed inſimul ſtipticus valde & adſtringens,uti ex actionibus ejus & proprietatibus cuivis ritè attendenti patet. Sed eo ipſo,quia viribus ſuis alia prædicta antecellit, mala inducit permulta ſimul & gravia, niſi exhibeatur in ætate juvenili, conſtitutione robuſta, quantitate congrua, & tempore debito rurſum ejiciatur. Certum hoc,ejus uſu poſſe Intermittentes Febres reprimi quodammodo, harumque cauſas ſuffocari. Id non poteſt non placere Spectatoribus; qui vix credere aut con-

concipere poſſunt Dolores & Anguſtias, quas inde poſtmodùm ſuſtinent ægri; illi inprimis, qui largis doſibus hoc medicamentum hauſerunt. Nam ſic vitioſa Salia, quæ ad Sanguinem transmiſſa ibi accendunt Febrim, accelerant Pulſum, & Partium actiones ac ſenſus intendunt, reſtricta nunc & captivata in Stomacho, Viſceri huic inferunt Aſperitatis ſenſum, Oppreſſiones magnas, & varias moleſtias: ſed quia ſimul cum illis ſupprimuntur quoque Salia legitima, naturalia, Partes his, quibus calorem ſuum debent & robur, orbatæ debiles admodùm redduntur & languidæ; quæ Accidentia haud dubiè majus recipiunt augmentum ex deſcenſu Phlegmatis in habitum Corporis, cui reprimendo remedium hocce ordinariè haud eſt ſuffenum. His omnibus ritè penſitatis haud mirum, adeò frequenter exceſſivum hujus Medicamenti uſum inſequi Paralyſes, aliaque Nervini generis Symptomata; quibusdam ſupervenire Hydropem, aliis Affectus Thoracis, aliis Surditatem, Aurium Suſurrum, Vertiginem, aliáque plura

Capi-

Capitis mala. Non ſanè absque ſontica cauſa reformidat hoc Medicamentum Vulgus ipſum. Optimum id eſt , quòd in Praxi Rationali rara ſit admodùm eo cum judicio utendi occaſio ; & ſicubi occurrat, re peractâ ſtudiosè evacuari ſoleat , juxta cum Salibus abſorptis. Fungitur aliquando officio hoc ipſa ſui ſtudioſa , & ad profligandas mali cauſas provida Natura, ejiciendo deorſum non ſine moleſtia & præcipitatione vitioſa omnia exortâ Diarrhœâ. Si quando Evacuatio hæc inſtituitur maturè & per remedia blanda , vel negotium hoc dextrâ Arte peragitur, ægro non poteſt non inde accedere ingens & ſolatium & beneficium. Quum è contrà, à relictis Salibus vitioſis, & duntaxat inviſcatis, ſed poſt evolutis, citius tandiusve hac illave via ægro accedere poſſunt mala plurima , niſi fortè exiguo illa adfuerint numero, vel Organa & Partes eo gaudeant vigore , ut ſponte ejiciant hoſtem. Remedium ſanè ipſum quia per ſe injurium eſt & noxium, ægro non poterit eſſe benè, niſi eliminetur. Neque tamen id fieri

debet methodo ordinariâ, ſiniſtrarum conſequentiarum plenâ ; non Purgationibus , quoniam his ruentibus deorſum, diarrhœâ ſecutâ, Febris ut plurimùm manet, imò ſæpe magis intenditur. Indicatur certè, ſi non Purgatio, ſaltem alia Evacuatio, quandoquidem non oritur Alvi profluvium, niſi adſit ingens materiæ noxiæ copia in Stomacho. Organo hocce in hoc caſu moleſtè affecto per Medicamentum, vitioſa ſimul & copioſa materia, quæ ibi hærebat, excitata, attenuata ex parte transmittitur ad Sanguinem, unde Symptomata exaſperari neceſſe eſt: tantò autem magis, quia à Flatibus, Scybalis in denſam maſſam concretis, & ipſo Phlegmate, aliàs in hujusmodi ægrorum Inteſtinis exuberante, clauditur, vel difficilis redditur, via per Fiſtulam Inteſtinalem, atque ſic determinatur materies peccans ad Sanguinem. Ita ut Diarrhœa ſit merum Accidens, & in hoc caſu intendatur Morbus, exuberante eum in modum materiâ noxiâ, ut excedat non duntaxat vires cujuscunque doſeos Corticis, quæ quidem cum ratione præ-

præſcribi poſſit, ſed in conflictu exundans ruat deorſum, majori quidem, quàm priùs ad Sanguinem, impetu. Quâ occaſione Olea exhibita facilitant materiæ per Inteſtina deſcenſum, incraſſant, defendunt ſimul & expellunt. Eidem Scopo quadrant optimè Clyſteres ſimul adhibiti, educendo fæces coagulatas, Flatus, aliaque deſcenſus obſtacula. Præcavendo ſic, & facilitando liberum tranſitum poſtero ſtatim die ab aſſumta largâ Corticis doſi, ſicubi viſa fuerit neceſſaria, propinari poteſt Purgans: id quod ſuccedet ordinariè adeò feliciter, ut nunquam viderim Paroxyſmum hâc viâ redeuntem. Continuato porrò uſu Oleorum, vel ipſius Corticis, ſi è re fuerit viſum, aut eum deſideravit æger, & Purgantium repetitione, quoties occaſio fert, liberatur æger & à Cortice, & à cauſis morbificis, reſtauratur feliciter, & in ſecuro ſtatu locatur Sanitas, id quod vix quiſpiam ab alia quacunque methodo poterit præſtolari. Exhiberi commodè poteſt Emeticum adæquatum, ſi ex Symptomatum conſideratione pateſcat, eſſe

cauſas morbi nimis vitiatas, vel adeò copioſas, ut nec commodè captivari aut abſorberi poſſint à Cortice, neque ſecurè dejici per Purgantia. Emeticum tale dextrè adhibitum ingenti eſt uſui, imò ut plurimùm unâ vice Symptomata omnia ceſſare facit feliciter, quoniam ſimul liberatur * Natura preſſa,& fomes mali tòllitur.

* conf. §. 13. 54. ſupra.

De Medicamentis amaris.

LX. Sunt Amara Remediorum genus,quod multi eſt uſus, ſed operationis contrariæ, ſi conferatur cum præcedenti: & tamen,quod omninò notari meretur, Abſorbentibus combinantur à benè multis. Quo ipſo autem utrorumque effectus laudabiles infringuntur, & fortè noxii inducuntur. Amara quatenus aliquando Appetitum excitant, ægro ſunt accepta, ſed & Medico,qui ſi Naturæ penetralia non introſpicit, haud facilè perſpicit, detineri duntaxat ægrum, & vanâ ſpe deludi. Stomachus quodammodo irritatus & incitatus per amara, ſi non ſit nimiùm oneratus, & vires ſat validæ, uti in junioribus, ſeſe liberat ab iisdem, & ſimul fortè ejicit Phlegma, aliave noxia. Hoc modo

redit

redit hoc Viſcus in ſtatum tantò meliorem, accreſcit ſubinde Appetitus, & ſternitur via ad cibi receptionem in Stomacho. Enimverò præjudicat hoc ipſum toti Structuræ; quoniam & amara, & contenta Stomachi vitioſa, unà ejecta, ut plurimùm tranſeunt ad Sanguinem, ſicque diſtribuuntur per totum Corpus. Hac ſanè ratione minuitur ſenſus Gravitatis & Oppreſſionis in Stomacho, fortè & mala hinc ad ſuperiores partes, ſpeciatim Caput tendentia; ſed exæſtuat Sanguis, putreſcit, & periculo longè majori, quàm prius fuerat, exponitur Vita atque conſtitutio ægri. Præterea à Viſceribus internis nobilioribus liberantibus ſe pro poſſe à jugo vitioſæ materiæ deponitur hæc ipſa tum alibi, tum in ipſum Stomachum, * novas hîc creans moleſtias. Hinc non mirum, hac Methodo opus habere ægrum ſemper remediis, nihilque effici. In ætate provectiori, ſenſu Stomachi ut plurimùm languente, & Viſcere hoc gravato nimis & Phlegmate onuſto, ne quidem apparente, bonum, ut in juvenibus, exerunt effectum amara;

* conf. §. 57. ſupra.

ſed communiter adeò manifeſtè ſunt noxia, ut qui eorum exhibitioni inſiſtit, incurioſus admodùm ſit earum rerum, quæ peraguntur in Praxi. Pateſcent rationes haud difficulter iis, qui apti ſunt formare judicium de rerum ſtatu ſub binis his adeò diverſis Circumſtantiis. Certum hoc, amarum præcipuum eſſe ingrediens Bilis, proin quodammodo pro Medicina expoſci: ſed oportet rarus admodùm ſit eorum uſus, quoniam à Bile redundante Oeconomiæ Animali accedunt perplurima mala atque anomaliæ.

De Salium Uſu in Medicina; ut & de Chalybe.

LXI. Ex Salium proſapia ſunt Urinoſa & Armoniaca nativis Corporis noſtri maximè præ aliis accommoda; licet tanquam ingrediens Bilis noxia valde ſint & Corpori inimica, ſi redundantia nimis. Sed magis adhuc alia Salia, Tartari, Sal Prunellæ, Salia Vitriolica, ea ſpeciatim, quæ ordinarias ingrediuntur Chalybis præparationes; quæ proin immenſa pariunt mala, inprimis in Corporibus Phlegmaticis & Cacochymicis, ubi vitioſa materia adeſt actione Salium horum ſuperior. Hoc quidem verum,

quòd

quòd ubi materia fortè eſt paucior, uti in Infantibus, quibusdam Fœminis, Viris texturæ tenerioris,& iis,qui ægrè illâ ſe gravari patiuntur, Salia hæc quodammodo ſeſe commendent ſuis viribus, licet, quod præſtant,meliùs, commodiùs, & ſecuriùs aliâ viâ poſſit effici,absque conſequentiis ſiniſtris, quæ Salium uſum ordinariè comitari ſolent. Qui hæc præſcribunt Salia,intendunt attenuationem,& obſtructionum reſerationem. Sed hæc ipſa intentio imponit ipſis,& pertinaces eos reddit in ſua hallucinatione, more aliarum hujus generis Theoriarum ſuperficialium. Suam certè conferuntSymbolam hæcceSalia in diſſolutione materiæ in Stomacho contentæ. Sed quia Naturæ non ſunt congrua,& quantitate ac viribus Salia ibi hærentia nativa ſuperant, exorto tumultu atque conflictu ita afficiunt Stomachum, ut is pro ſui defenſione ante eliminet Salia nociva ſimul cum materia,quàm hæc eſt diſſoluta,& impetu magno propellat in Vaſa Lactea, Sanguiveha capillaria, & Glandulas Renum, Hepatis, Viſcera alia: quo

ipſo non ſolùm non reſerantur Obſtructiones inveteratæ, ſed magis augentur, confirmantur, novæque generantur. Inundatur namque Sanguis, in febriles æſtus, aliasque turbas concitatur, ſicque in confuſionem aguntur fluida Corporis majorem ſanè, quàm quæ hîc exponi queat. Neque induceretur talismodi Methodus, niſi ad foret quædam deluſio, & acciderent, quæ blandiuntur pro tempore ægro. Alleviato quippe, Salium uſu, pondere Stomacho moleſto, Oppreſſionis, Languoris, Vertiginis, aliorumque capitis affectuum cauſâ, & ex parte translatâ aliorſum, alleviantur fortè ad tempus ægri, nec percipiunt centum incommoda longè majora, viribus Corporis magis infeſta, vitæ perniciosa, Remediis quibusvis ſuperiora. Contentus eſt æger aliquali dictorum Symptomatum remiſſione, futurorum neſcius & incurius. Sed futurum non minùs quàm præſens æquâ integri animi lance perpendit, qui lynceos habet oculos, & ipſa quoque recondita introſpicit: atque bonâ fide ſervire vitæque conſulere mavult,

quàm

quàm placere duntaxat. Evaneſcit ſpes momentanea brevi, ſed diu durant mala, quæ ſequuntur, & gtavia, & dura. Tanta materiæ peccantis copia, Sanguini illata, neque per Emunctoria conſueta excreta impingitur Vaſis, vel partibus quibusdam, fortè & Cerebro, Pulmonibus, Viſceribus aliis, ubi depoſita manet, donec textura prorſus ſit vitiata, & tandem Oeconomiâ integrâ labefactatâ corruat Vita. Niſi fortè à juvenili ætate, vel Viſceribus ſat robuſtis portio ſaltem materiæ vitioſæ ejiciatur foras. Quo in caſu Maſſæ Sanguineæ reddita partim quidem per vias renales invenit exitum, partim verò per Gaſtrica vaſa & Glandulas redit ad Stomachum. * Ubi non ſolùm priorem ſcenam ludit, ſed Viſcus hoc de novo aggreditur, ſed majori & impetu & effectu, quàm priùs, comite Indigeſtione, inde à primo inſultu ortâ, ex defectu præcautionis in hac Methodo neceſſariæ, qua præveniri poterat. Penſitantes hæc omnia, Obſtructiones aliasque noxas Corpori ſupervenientes, nova, & difficiliora fortè obſtacula, penſum

* conf. §. 57. ſupra.

abſolvendum habent Medici gravius longè & difficilius, quàm quidem habuiſſent, ſi æger ſoli morbo commiſſus nîl prorſus remediorum adſumſiſſet.

De Aquis Medicatis.

LXII. Materiam in Stomacho vitioſam ſuperare queunt Aquæ *Bathonienſes*, & minerales aliæ, ſi in exiguâ adſit quantitate; licet hanc ſenſim inferant Sanguineæ maſſæ, rurſum tamen tantum inde exturbant, ut paucas admodùm excitare poſſint turbas, imò verò præſtare fortè aliquid boni. Verùm eninverò, ſi materia ſit copioſa adeò, ut ei ſucceſſivè Sanguini illæ recipiendæ, & evacuandæ non ſuffena ſint Vaſa & Organa, minuitur eadem proportione boni deſiderati ſpes, turbæque increſcunt. Eſt ratio hujus Propoſitionis adeò evidens iis, qui Structuræ mechanicæ Corporis ſunt periti, vel attendere dignati ſunt ad ea, quæ protuli hactenus, ut ulteriori explanatione non ſit opus. Eſt cur Philoſophiæ ſuæ jungant forte pectus, qui tantâ Aquas *Bathonienſes* & *Tunbrigenſes* adeunt, conſuetâ licet, libertate, ſeſe illis immerſuri. Audacter

dacter ſanè exponunt illi perſonas ſuas & Sanitatem, inprimis, ſi Corpora eorum non ſint ad hujusmodi curas diſpoſita, vel Aquæ non liberum inveniant tranſitum.

LXIII. Sunt Stomacho admodùm ingrata * Vegetabilium uſualium perplura, uti Alterantia, Succi, Aquæ, Salia, & præparata alia, atque Digeſtionem turbant ac lædunt. De Remediis ex Regno Vegetabili.

LXIV. Congrua mage ſunt, & Naturæ amica Animalia, horumque Præparata, cum judicio ſelecta, & ritè adminiſtrata; ſed nulla, quæ quidem ſciam, uſus notabilis, & ampli. De Remediis ex Regno Animali.

LXV. Verùm Mineralia, Metalla, & quæ Foſſilia nativa cunque, Viſceribus & partibus ea conſtituentibus ſunt incongrua prorſus. Quapropter Naturæ ſunt infeſta, & exhibita Alterantium titulo vel agunt parùm, vel noxas parant morâ ſuâ in Corpore, niſi dextrè admodùm ſint adminiſtrata. De Mineralibus.

LXVI. Dextrâ tali adminiſtratione ſecurè adhiberi poſſunt varia ex Alterantium claſſe, imò & quodammodo Alterantium Medicamentorum verus ac le-

* conf. §. 7. ſupra.

gitimus Uſus.

modo conducent Sanitati. Sed ſeliget prudens atque peritus Medicus pauca innocua, facilè tractabilia, & Naturæ amica. Dantur autem certò talia, quæ ingenti poſſunt eſſe uſui tanquam adjuvantia eorum, quæ noxiam materiam è Corpore eliminant. Talia certè quodammodo ſunt neceſſaria in Evacuationum intervallis. Hæc verò Intervalla ſunt quandoque longi temporis. Opus hocce non unquam ſuſcipi debet cum impetu, ſed tractari cum judicio, eo namque tempore, quo Orgána ſunt diſpoſita, neque Natura ſecernendo & excernendo occupata. Exemplis hoc illuſtravi ſuprà, Variolarum occaſione.

De Medicamentis communiter dictis Cordialibus, & Stomachicis.

LXVII. Medicamenta Alterantia, quæ quidem Opus hoc præ aliis benignè & efficaciter adjuvant, vel roborant vires, quamdiu uſurpantur, vel diſponunt materiam noxiam ita, ut tantò faciliùs moveri, & eliminari poſſit. Priori intentioni inſerviunt præter Vina adæquata, & Diætam convenientem Aquæ compoſitæ, quæ quidem ſunt Palato & Stomacho gratæ; * Spiritus item Vegetabilium & Ani-

* conf. §. 7. ſupra.

Animalium volatiles, qui dictis jam pollent proprietatibus. Quadrant eidem ſcopo quandoque Amara ſimpliciſſima guſtui accepta, in parva doſi. Magis tamen ea, quæ partibus conſtant activis, ſubtilibus, Stomacho ſunt amica. * Talia ſunt, Ruta, Cochlearia, Raphanus ruſticanus, Sinapi, Cæpe, Allium, & Aſſa fœtida.

* conf. §. 7. ſupra.

De Medicamentis Attenuantibus.

LXVIII. Præſtant & recenſita modò Medicamenta aliud, quod ab Alterantibus expectari poteſt, beneficium, quòd blandè & placidè attenuent atque excitent Phlegma cum reliqua Stomachi ſaburra, eamque fluxilem reddant & Evacuantibus remediis facilè obtemperantem. Aliis omnibus autem hactenus quidem Cognitis palmam præfert Mercurius dulcis dextrè adhibitus, tanquam nobile & efficaciſſimum agens in hoc negotio.

De Calomelano.

De Oleis Vegetabilibus.

LXIX. De ingenti Oleorum beneficio & uſu, & quomodo iis Errores Bilioſorum Salium & exorbitantiæ corrigi, Febres, Inflammationes & Dolores mitigari poſſint, quædam jam ſuprà expoſui. † Sed & alia eminent in-

† conf. §. 11. ſupra.

Reddunt ea Corpus ſolubile: blandè adjuvant Purgantia, reddendo ea ſecura, ut non careant felici ſucceſſu.

inſigni prærogativâ, Corpus reddendo ſolubile. Præcipua Vitæ noſtræ mala, quum pendeant à Flatibus, Stagnatione, & ſaburra in Stomacho & Inteſtinis, hiſce impedimentis removendis nil conducit magis, quàm ipſa hæc Olea; lubricantur iis & oblinuntur Inteſtina, atque facilitantur viæ per eadem. Horum namque operandi ratio differt multùm à plerisque Purgantibus. Non irritant vel exaſperant materiem bilioſam, vel in fumos elevant, uti id quidem faciunt Purgantium ordinariorum pleraque: ſed è contrà acrimoniam materiæ temperant, motus, Efferveſcentias & Fumos compeſcunt; His ipſis emergentibus quia Obſtructiones in Inteſtinis oriri ſolent prægnæ, Naturæ inimicæ, & ſic materia peccans obliquè agitur in Sanguinem, removentur omnium commodiſſimè hæcce Obſtacula Oleoſorum uſu, & liber conceditur ſaburræ per Inteſtina tranſitus: proinde ita hæc Olea aſſequuntur Naturæ intentionem, ut efficiant id ipſum, quod hæc præſtaret, haud impedita. Accedit, quod, dum Purgantia communiter atte-

attenuant materiam Stomachi vitioſam, & in Inteſtinis hærentem, eandemque diſponunt ad introitum in Lactea Vaſa, * Olea quodammodo materiam incraſſent, tranſitum ad Vaſa inhibeant, & ſic Structuram Corporis ſecuram reddant, & præſervent. Præterea horum Oleorum uſum non inſequitur Oppreſſio & Debilitas, neque Febriles æſtus, aliæque turbæ, quæ quidem Purgantium ſunt Comites ſatis frequentes; ſæpe etiam Alvi dejectiones in maximis etiam Morbis, ſpeciatim Variolis, ſunt naturalibus ſimiles: Purgantia non ritè adminiſtrata ſicuti certò offendunt atque irritant Stomachum & Inteſtina, ita eadem hæc Viſcera defendunt atque tuentur Oleoſa non minùs quàm totum Corporis Habitum. Neque ſilentio præteriri debet, plurima ex Purgantibus, ſpeciatim Aloetica, omnia amara, omnia Salina, omnia irritantia & prædulcia, uti eſt Manna, adaugere Bilem, quoniam hoc Fluidum conſtat Salibus muriaticis ac ſaccharinis non minùs quàm amaris. Quum è contra Oleoſa infringant ſiniſtros Pur-

* conf. §. 33. 34. ſupra.

Purgantium effectus, iisque præveniant, fruſtrando inſultus Biliosorum Salium pravitate vel copiâ peccantium; id quod præſtant in omni exceſſu principiorum nimis activorum quorumcunque, ipſorum etiam Venenorum, ut omnibus aliis, cognitis quidem hactenus, Antidotis præcellant. Eluduntur iis, in copia exhibitis, Operationes Vomitoriorum & Catharticorum, ab irritatione Stomachi & Inteſtinorum oriri ſolitæ, qualia ſunt Vitriolum, Salia purgantia, & hujusmodi alia, ſive propinentur illa ſimul, ſive ante, aut poſt. Oleis quippe defenduntur Viſcera, excipiuntur & inviſcantur activæ talium remediorum partes, uti ipſorum Salium Bilioſorum: quorum omnium actio Oleorum uſu infringitur, & irrita redditur prorſus. Conveniunt Olea quàm optimè Purgantibus mitioribus & adæquatis, & commodiſſimè exhiberi poſſunt ſimul; vel potiùs (hanc enim methodum præfero) ante, temporis intervallo congruo; nihil enim certiùs & meliùs prædiſponit Stomachum & Inteſtina ad facilem, ſecuram & ope-

rativam

rativam Evacuationem: quoniam taliſmodi deſideratæ Evacuationis impedimenta removent, & materiam vitioſam in dictis Viſceribus hærentem diſponunt ad motum progreſſivum. His ſanè Oleis acceptum refero, quòd in Praxeos meæ Curſu in Caſibus quibusdam magnis, & extremi periculi plenis, copiam ingentem materiæ vitioſæ ſubducendo tales inducere potuerim mutationes ad ſalutem ægri, quas ſperare non poteram ab ullâ alia methodo; & eas quidem absque violentis ac turbulentis motibus, in Caſibus delicatiſſimis, in Temperamentis tenerrimis, talibus etiam, quæ alia omnia Purgantia ferre nequeunt. Quæ tantò magis publici facio juris, ut habeant ingenui Artis noſtræ Magiſtri, quibus curæ eſt, non occultatio aut palliatio, ſed ſecura & realis morborum medela, quod in ſuos & ægrotantium uſus pertrahere, & candidam meam intentionem ſecundare poſſint. Commendandis Oleis id inſuper facit, quòd conſtitutionis ſint amicæ & benignæ. Quicquid oggauniant Naturæ & Mechaniſmi

Oléa Corpori amica, nec ullo modo turbulenta.

Corporis imperiti, certum hoc eſt, poſſe quidem Olea ſiniſtrâ adminiſtratione ægro reddi ingrata & nauſeoſa, nunquam tamen noxia. Id quod annotare volui, ut averterem injuriam ab ἀφιλοσόφοις illatam, quæ in multorum eſt ore, ac ſi Oleorum uſu relaxarentur Viſcera. Quum contrarios prorſus edant effectus. Eo ipſo enim, quòd ſedent & compeſcant Flatus, aliâs Viſcera diſtendentes, & relaxatione inſecutâ noxam inferentes, impedient potiùs Stomachi, Inteſtinorum & Vaſorum nimiam relaxationem; tantò quidem magis, quòd emolliendo, liquando, deliniendo, fæces compactas & induratas ad deſcenſum promoveant. Remediorum ſanè Oleoſorum & Unctuoſorum uſus indicatur manifeſtè ab ipſa Natura tanquam Corporis tutamen adæquatum & ſpeciale contra Bilioſorum Salium inſultus, quod vel ex eo patet; quia providâ Sapientiâ & ſummâ curâ locatur Pinguedo in ſat magna copiâ tanquam clypeus, ubi dicta Salia abundant cunque. Exemplo eſt Pinguedo Stomacho, Inteſtinis, Hepati, Omen-

Occaſionaliter de uſu Pinguedinis pro Securitate Viſcerum & Partium.

Omento affixa,& has partes veluti inveſtiens, quæ tota conſtat oleoſo ſucco, membraneis veſiculis contento. Neque videtur Pars Corporis adeò conſpicua alium habere uſum quàm oblinitorium & defenſorium Viſcerum contra numeroſas Bilioſorum Salium injurias. Providâ eadem intentione copioſâ Pinguedine veſtitur Meſenterium,Renes, per quæ Viſcera Salia iſta continuò tranſeunt ; imò majori hîc, minorive alibi copiâ reperitur in omnibus aliis Corporis Partibus, quoniam nulla eſt,ad quam non Salia hæc majori minorive numero tendant. Neque harum ulla valde dolet,multaque patitur, niſi eò uſque prævaluerint & accreverint Salia, ut horum activitate conſumta fuerit & diſſipata Pinguedo, & ſic Partes tutamine hocce ſuo nativo orbatæ immediatis Salium corroſionibus & noxis redditæ fuerint obnoxiæ. Hæc ipſa eſt ratio,cur in Corporum magnis tot Morbis, præſertim Chronicis demortuorum diſſectioniuus offendamus plerunque miram emaciationem, & Partes recenſitas Pinguedine nudatas.

Pro Nutritione,Fluidorum diſtributione,&Glandularum Secretione,promovendis.

 Nil

Nil ſanè obvium magis, quàm Omentum, Pinguedinis promptuarium, videre ad meram membranam redactum, imò ſæpe diſſolutum prorſus & corroſum: Tamdiu perſtat Vita, tamdiu conſiſtunt Partes, quamdiu Vitale hoc Oleum, & illius, & harum tutamen, durat, nec ultrà. Jam verò nîl adeò Pinguedinem detritam reſtaurare, novamque ſuggerere valet, ac quidem Oleoſa & Unctuoſa, niſi ſerò nimis adhibita. Hinc fortè eſt, quòd apud *Hippocratem* clueant *reſtaurantia.* * Haud mihi temperare poſſum, quò minus hac ipſa Occaſione mentionem faciam alius notabilis uſus, quam Pinguedo habet, & dat: quique conſiſtit in adjuvanda actione Glandularum Secretoria: Id quod fit inungendo, & flexiles reddendo Partes, & promovendo fluida per eaſdem. Quapropter videmus deficere Secretionem, exhauſto Pinguedinis penu. Et in Corporibus Hecticâ conſumtis communiter obſervamus Meſenterii & aliarum Glandulas obſtructas, fartas, tumidas ac ſcirrhoſas. Ad hunc ſcopu-

* Κομιστικὰ. Hippocr. περὶ παθ. Sect. 50.

ſcopulum quoniam Vita adeò frequenter impingit, nîl, quod nemo non videt, arcendæ morti adeò erit congruum, uti Oleoſa & Unctuoſa, utpote quæ Pinguedini deficienti naturale & conveniens præbent ſupplementum. Excellentiam proin & uſum horum Remediorum inſignem commendant adjuta, de qua jam, Glandularum Secretio, ſecurus ſucci Nutritii per Vaſa Lactea tranſitus, diſtributionis Fluidorum facilitatio, Partium defenſio contra deprædationes bilioſorum Salium, quæ palmaria ſunt Mortis cauſa.

LXX. Paravit & Natura Mucilagines in ſui ſubſidium, & defenſionem. De Mucilaginoſis. Oblinivit hiſce & inunxit Bilioſos Ductus in Hepate, internos parietes Stomachi, Inteſtinorum, meatuum Urinariorum, & omnia Corporis Vaſa, ea inprimis, quæ Bilioſis abundant Salibus. Fuit hæc obſervatio, quæ me induxit in uſum Mucilaginum, Pulparum, & Subſtantiarum Mucilaginoſarum: Eſt hoc certiſſimum, contribuere hujusmodi & ad inviſcanda Salia Bilioſa redundantia, & ad defenden-

das partes contra horum impetus & inſultus. Sunt enim Naturæ nutritivæ, grata, & Corpori amica: hujusmodi autem rebus attendunt ſtudioſè, & primariò quotquot Sanitatem vel præſervandam vel reſtituendam curæ habent.

De Abſorbentibus.

LXXI. Si quando Salia Biliosa erratica & vagabunda eludunt actionem Remediorum Evacuantium, prævenire licet noxiæ huic fugæ fixando illa per Abſorbentia, ex blandiſſimo & innocentiſſimo genere, vel doſibus contractis Peruviani Corticis.

De Opiatis.

* conf. §. 31. ſupra.

LXXII. Eidem ſcopo quadrant & Opiata, diminuendo Senſationem Stomachi, * reddendo hoc Viſcus irritationi minùs obnoxium, ejiciendo Salia vitioſa Bilis, quæ Viſcus hoc nobile offendere ſolent, imò & integrum Corporis habitum, per eum diffuſa.

Concluſio Meditationum circa Remedia Alterantia.

LXXIII. Hac ratione poteſt exiguus Remediorum Alterantium numerus, prudenti directione, ſubſervire quodammodo magno & neceſſario operi ejectionis cauſarum, quæ Naturam Humanam in tot & varios præcipitant errores atque anomalias; ita ut

ut Organa dextrè liberata ab onere, quod illis incumbit , liberiùs tantò poſſint ſingula ſuo defungi officio, absque impedimento. Id autem planum omninò autumo , haud præſtolari poſſe eos, qui in Alterantibus primariam quærunt medelam , Morborum curam & extirpationem, imò habere fortè, quòd metuant pejora.

INDEX
in
IDEAM Naturæ Humanæ.

Pag.
DE Stomacho. 1.
De Digeſtione & Salibus ejus Inſtrumentis. 2.
De Calore naturali in Stomacho. 3.
De naturali Stomachi inflatione & preſſione in Aortam deſcendentem, ac inæquali inde orta Sanguinis diſtributione. 3.
Neceſſarium id pro Exercitio Paſſionum, Senſuum & Cogitationum. 3.
Alimenti conditio in Inteſtinis, & quæ hic peraguntur. 5.
Tranſitus Alimenti in Sanguinem. 5.
De nutrimento ad partes inprimis durante Somno delato. 6.
De Secretione variorum Fluidorum & Succorum ex Sanguine. 6.
De Secretione excrementitiorum Fluidorum. 7.
De colore Sanguinis. 7.
De colore Cutis. 8.
De Calore Sanguinis ac Corporis. 8.
Origo Globulorum Sanguinis. 8.
Horum uſus in Motu Muſculari. 8.
. . in Motu Cordis. 10.
. . in Senſatione. 10.
Nervorum uſus. 11.
De Corporis Humani animatione & Mechaniſmo. 11.

De Morbis.

Stomachi Affectus. Indigeſtio. 11.
Salia in Stomacho multiplicata & depravata. 12.
Sunt cauſæ nimiæ Inflationis & Relaxationis Stomachi. 12.
. . Caloris nimii, Dolorum, Hypochondriacæ Paſſionis. 12.
. . Paſſionum Animi irregularium. 13.

pag.
Sunt cauſæ & Senſationum. 13.
. . & Cogitationum. 14.
. . Deliriorum, Rabiei. 14.
Symptomata & mala orta ex nimia Inflatione Stomachi, & Preſſione Aortæ Deſcendentis. Morbi Dorſi, Thoracis, Pulmonum, Cordis & Cervicis. 15.
Affectus Capitis, Faciei, Aurium, Oculorum, ac Cerebri. 16.
Signa durantibus hiſce Thoracis & Partium ſuperiorum Affectibus indicantia Sanguinis plenitudinem in ſuperioribus, defectus in inferioribus. 16.
De Singultu. 17.
De Convulſionibus Epilepticis & Hyſtericis ita dictis. 17.
De Ructibus, Siti, Siccitate, Linguæ decoloratione, Pica, Inappetentia, Depravatione Guſtus, Sorditie Oris, Vomitu. 18.
De Somni anomaliis, Comatoſis Affectibus, Inſomniis. 18.
De Incubo. 18.
De Nutrimenti defectu & Conſumptione. 18.
Cauſæ Agentes, vitioſa Stomachi principia excitantes. 19.
Deſcenſus horum principiorum in Inteſtina. 19.
De Diarrhœa, Colica, Teneſmo, Dyſenteria. 19.
De Alvi Conſtipatione. 20.
Tranſitus pravæ materiæ, Pituitæ, Biliſve in Sanguinem, & Symptomata, Morbive hinc orti. 20.
Viva nimis Senſatio, Inflationes vaſorum & partium. 20.
Febres, Inflammationes, Dolores. 20.
Pituita vel Gluten in Sanguine. 21.
Tremores, Convulſiones, Paralyſes. 21.
Hydropes, aliæve Intumeſcentiæ, Puſtulæ, & ſimiles Eruptiones. 21.
Cutanei Affectus. 21.
Mutatio Coloris in Cute, & Temperamentis. 21.
Scarlatinus color Cutis in quibusdam Febribus, Maculæ in aliis, Scorbuto. 22.
Vitioſa Principia in Fluidis naturalibus. 22.
ut & in Excrementitiis. 22.
Calculi Renum & Veſicæ. Diabetes. Stranguria. Mictus cruentus. 23.
Hæmoptyſis & Hæmorrhagiæ aliæ. 23.
Apoſtemata, Ulcera. 24.

P 5 Morbi

pag.
Morbi communiter conjuncti, quia Cauſæ ex eodem fluunt fonte. 24.
De Morborum mutationibus, metaſtaſi, Criſi. 24.
Morborum ingens varietas, non obſtante Cauſarum ortu ex eodem principio. 25.
De Morborum frequentia & Vitæ inſtabilitate. 26.
De Senio, communi Vitæ periodo, Morte. 27.
Inſigne Artis Medicæ momentum. 29.

De Remediis.

Rerum naturalium conſtitutiva Principia, ſive Corpuſcula non alterentur unquam. 30.
Metallorum nulla Transmutatio. 31.
Chimerica atque imaginaria, communis notio de Alteratione Principiorum per Remedia Alterantia dicta. 31.
Non facta unquam mutatio in Corporis commodum, niſi ſucceſſiva rerum in illo renovatione, & noxiorum Principiorum remotione, naturaliumque ſubſtitutione. 33.
Præcipua & Evacuantium Remediorum Impedimenta. 33.
Corporis præparatio pro Evacuatione materiæ vitioſæ neceſſaria, facilis, & felici eventu haud carens. 34.
Effectus eorum immediati & ſalutares in omnibus Caſibus, ſi ritè adhibeantur. 34.
Finalis Morborum eradicatio per Remedia Evacuantia. 36.
De aliis Medendi Methodis. 36.

Digitized by Google

INDEX

Tractatus de Medicinæ & Morborum Statu.

	pag.
Occaſio hujus Diſcurſus.	38.
De Theoriis & Hypotheſibus.	40.
Philoſophia Medicinæ perutilis.	40.
Neceſſaria in cauſas Morborum inquiſitio.	40.
Methodus dicendorum.	49.
Præludia Variolarum, ſeu, primum Stadium. Symptomata. Earundem ſedes atque origo.	51.
De Regimine Paſſionum Animi in Morbis.	53.
De Diæta & Potu in Variolis, item de Cordialibus.	55.
De Medicamentis.	56.
De Abſorbentibus; de Medicamentis Diaphoreticis, & Alexipharmacis.	60.
De Camphora.	61.
De Acidis, & Refrigerantibus Medicamentis.	62.
De Oleis, & Medicamentis pinguibus.	64.
De Vomitoriis, eorum ſalutaribus effectibus & ſequelis.	66.
Materiæ, quæ cauſa Variolarum & Symptomatum concomitantium, conſtitutio.	71.
Hippocratis doctrina de Febribus huic noſtræ conformis.	72.
Stadium ſecundum, ſive Variolarum eruptio.	76.
Stadium tertium, ſive maturatio.	79.
Stadium quartum, ſive Variolarum declinatio.	81.
Accidentia hujus Stadii non recenſita à D. Freind.	81.
In præſenti Conamine ſupplenda.	83.
De hujus Stadii Symptomatibus, horum Origine & Cauſis.	83.
De Diarrhœa.	83.
De Dyſenteria.	85.
De Partium Convulſivis ſubſultibus, & Affectibus dictis Nervoſis.	85.
De Iſchuria.	86.
De Stranguria.	86.
De Mictu cruento.	87.

INDEX.

pag.

De Hæmoptyſi. 88.

Rationes, cur hujus Stadii Symptomata ſint ordinariè vehementiora & urgentia magis, quàm Stadii primi. 88.

Cur Variolæ non ſint omnibus ex æquo noxiæ? 91.

Remedia. 93.

De Veſicatoriis. 93.

Hæc ſequitur ſæpe Urina Cruenta. 94.

Phlebotomia, ut & Camphora, cum Acidis in hoc caſu nunquam non ſunt funeſta. 94.

De Venæſectione. 103.

Occaſione hac agitur de Hydrope & Aſthmate. 104.

De Opiatis. 105.

De Evacuantibus. 107.

Purgantia in hoc Stadio propoſita à D. Freind. 107.

Diarrhœa ſubinde accidens obtruſa pro naturali indicante Purgationis, ſed malè: eſt duntaxat indicans ſaburræ. 108.

Hujus exturbatio in Fiſtulam Inteſtinalem per Purgantia eſt noxia. 108.

Non ſemper imitanda Natura. 108.

Exemplum depoſitæ in partem quampiam materiæ viroſæ. 109.

Hæmorrhagiæ. 109.

Phlebotomia hac occaſione adminiſtrata cenſuræ ſubjicitur. 109.

Diarrhœa in Variolis eſt merè Symptomatica. 111.

Non ſine periculo compeſcitur. 111.

Diarrhœa quarti Stadii num magis indicet Purgantia, quàm primi vel ſecundi. 111.

Tendentia materiæ ſurſum Naturæ conveniens & amica. 112.

Diarrhœa ſive tendentia deorſum diſcrimine non vacat. 112.

Purgatio nec Ratione fundatur, nec Mechaniſmo Corporis. 113.

Purgantibus intenduntur Symptomata, ſpeciatim Febris. 114.

Adſtringentia prorſus non conveniunt in Variolis. 115.

De Origine Variolarum, & aliorum quorundam Morborum his poſterioribus temporibus exortorum, & Cauſis eorundem. 117.

Purgationes in Febribus diſplicent Hippocrati. 118.

De Purgantibus à D. Freind ſelectis, & aliis. 120.

De

INDEX.

pag.
De illorum Doſibus, & blanda Laxatione. 121.
De Purgantium formulis, ab illis adhiberi ſolitis. 121.
Occaſionaliter de Conſultationibus Medicorum. 125.
Examen ſucceſſus Purgantium exhibitorum in caſu deducto à D. Freind & aliis. 126.
Rationes inde deductæ pro improbatione Methodi, qua utuntur. 126.
De Caſu primo à D. Freind propoſito. 126.
De Caſu Brovvnij. 129.
D. Freindij Relatio clara & diſtincta, ſed Sociorum perplexa & manca. 131.
Caſus admodùm rarus trium ſucceſſivè inſultuum Varioloſorum. 132.
Caſus inſecuti Sphaceli. 142.
Indicium bonæ methodi haud fuiſſet, etiam felix ſi fuiſſet Morbi eventus, quoniam exempla præcipua deſumuntur ex ætate infantili, quæ minori longè periculo eſt expoſita in Variolis, quàm quidem adulta. 150.
Infantibus Diarrhœa, & per conſequens Purgatio non adeò eſt noxia, uti adultis. 151.
De Sexu Fœmineo adulto. 152.
Methodus hæc adminiſtrata tempore frigidiori, & magis faventi. 153.
Magnifica horum Medicorum de ſua Methodo opinio. 154.
Nulla ſiniſtri ſucceſſus mentio: ſalvati omnes, tractati hac methodo, ſi fides eſt penes Authores, certè non penes alios. 156.
Nuperæ Variolæ infortunatæ. 157.
Morborum incrementum in Metropoli Angliæ. 159.
Ejus cauſæ. 161.
1. Error in Diæta & Vitæ regimine. 161.
2. Error in Medicinæ adminiſtratione. 168.
Stomachus fons materiæ noxiæ, quæ cauſatur Febrim, & alia prava Symptomata, in quarto Variolarum Stadio. 175.
Indicantur proin Vomitoria, Purgantibus magis adæquata. 177.
De Directione Vomitoriorum. 178.
Vomitoria præ alüs uſualia. 184.
De Ipecacuanha. 184.

De

pag.
De Oxymelle Scillitico. 184.
Occaſionaliter de Oleo Amygdalarum dulcium. 185.
De Tartaro Emetico. 185.
Clyſterum uſus in Variolis. 188.
Hippocratis judicium in favorem Vomitoriorum in Febribus. 189.
In lucem protrahunt Vomitoria cauſas Symptomatum in poſtremo hoc Variolarum Stadio. 191.
Doctrinæ hujus veritas ipſis quoque Senſibus redditur evidens. 191.
Argumentum aliud ſuppeditat ceſſatio Symptomatum à Vomitu. 192.
De Cura finali, & ægri reſtauratione poſt Variolas ſuperatas. 192.
Evacuationes heic neceſſariæ: earum beneficium & uſus: Committuntur magni errores, ſi omittantur. 193.
Corporis liberatio ab omni materia noxia, opus magnum, & difficultatis plenum. 197.
Reciprocationes inter Vaſa Sanguifera, & Stomachum. 197.
Sanguis depuratus, Morbique curati evacuatione Stomachi. 202.
Non extirpatur verè ullus Morbus, niſi Evacuatione, cauſæque ſublatione. 202.
De Medicamentis Alterantibus. 203.
De Medicamentis Abſorbentibus & Teſtaceis. 204.
De Cortice Peruviano, & occaſionaliter de Febribus Intermittentibus. 207.
De Medicamentis amaris. 212.
De Salium in Medicina uſu, ut & de Chalybe. 214.
De Aquis Medicatis. 218.
De Remediis ex Regno Vegetabili. 219.
De Remediis ex Regno Animali. 219.
De Mineralibus. 219.
Alterantium Medicamentorum verus ac legitimus uſus. 219.
De Medicamentis communiter dictis Cordialibus & Stomachicis. 220.
De Medicamentis Attenuantibus. 221.
De Calomelano. 221.
De Oleis Vegetabilibus. 221.

Reddunt

INDEX.

pag.

Reddunt ea Corpus ſolubile, blandè adjuvant Purgantia, reddendo ea ſecura, ut non careant felici ſucceſſu. 222.
Olea Corpori amica, nec ullo modo turbulenta. 225.
Occaſionaliter de uſu Pinguedinis pro ſecuritate Viſcerum & Partium. 226.
Pro Nutritione, Fluidorum diſtributione, & Glandularum Secretione promovendis. 227.
De Mucilaginoſis. 229.
De Abſorbentibus. 230.
De Opiatis. 230.
Concluſio Meditationum circa Remedia Alterantia. 230.

F I N I S.

24c

Digitized by Google

5, 6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005652962

Digitized by Google

MC